



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio VII. De impedimentis matrimonium dirimentibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

quibus patet responsio ad priorem confirmationem. Ad posteriorem dico hos actus quantum est ex conditione status posse ad eius finem referri, quod sufficit, ut possint excusari à culpâ mortali.

192.

Coroll.

Ex dictis etiam colligi potest, quod talibus non valentibus actum carnalem completum exercere sint liciti prædicti actus ad sedandam in se, vel compartem carnis tentationem. 2. quod non peccet mortaliter pars, quæ ex carnali voluptate se tangit; nam actus non ideo ordinatur ad copulam illicitam eò quod is, qui se tangit, non possit licitam exercere. 3. quod non peccet mortaliter coniux, quæ absente coniuge ex voluptate se tangit. 4. quod non peccet mortaliter is, qui propter abortus, vel grauioris morbi periculum non valens uxorem cognoscere, eam osculatur, amplexatur, &c. voluntatis causâ.

Denique ex dictis colligi potest, quod coniux non peccet mortaliter, sese oblectans venereè de actu carnali cogitato, dum abest compars, vel dum actum exercere non potest. ita varij Caiet. in summâ, verbo *delectatio morosa* num. 8. Vasquez supra cap. 2. Lessius lib. 4. cap. 3. dubitat. 15. num. 121. & alij. ratio patet ex dictis, quod eiusmodi delectationes per statum coniugibus sint licitæ.

Caiet. Vasq. Less.

Occurrit obiectio.

Nec obstat, quod hæc delectatio sit inchoata quædam commixtio cum compartem, cum coniux per illam carnalem delectationem feratur in præsentem in compartem; quia huiusmodi commixtio interior, & phantastica non ideo est illicita, quod exterior sit prohibita vel haberi non possit, quia tamen hæc voluptas partis inferioris percepta ex actu coniugali cogitato magnam vim habet ad pollutionem excitandam, omnino est disuadenda.

193.

Observandum etiam huiusmodi delectationem solum esse licitam respectu compartis, non verò respectu alterius, quod est diligenter notandum, unde mulier quæ secundas nuptias iniit, non potest se carnaliter oblectare de copulâ cum priori marito habitâ, nec potest in actu coniugali illum sibi representare, & de eo carnaliter delectari: si enim ita se gereret, quamvis actus materialiter esset cum suo, formaliter tamen esset cum alieno, & proinde formaliter adulterium.

194.

Conclus. 4.

Dico 4. quando actus coniugalis est illicitus ratione voti castitatis, illiciti etiam sunt actus subordinati, iuxta modum, quo votum potest obligare, & mandari executioni. unde cum saltem obliget ad non petendum debitum, ex consequenti coniux obligatur se vel compartem non tangere per modum petitionis debiti: quia verò coniux voto castitatis adstrictus tenetur reddere debitum coniugale compartem petenti, potest per modum redditionis se, vel compartem tangere, & in quantum est necessarium ad reddendum debitum. si ex aliquo capite excusetur, ita ut absque iniustitiâ possit debitum negare, non potest se, vel compartem ex affectu carnali tangere, osculari &c. quia votum omnibus illis modis servari potest. unde non potest absente compartem sese carnaliter oblectare, similiter non potest eandem voluptatem querere, vel admittere quando debitum coniugale non tenetur reddere. quorum omnium ratio est, quod votum castitatis absolute emissum obliget ad abstinentiam ab omnibus venereis quantum ius alterius patitur.

Votum castitatis absolute emissum obligat ad abstinentiam ab omnibus venereis.

Confirm. 1. votum castitatis emissum à solutis eos obligat non solum abstinere ab actu fornicationis, sed etiam à venereis adpectibus, tactibus, colloquiis, item ab omni delectatione venereâ, igitur

etiam censendum est obligare ad hæc coniugatos, quantum salvo rare alterius fieri potest.

Confirm. 2. si is, qui votum emisit etiam constante matrimonio, superuiuat comparti, tenetur etiam vi voti ab omnibus istis abstinere, ergo etiam tenetur abstinere in statu matrimoniali, quantum fas est salvo iure compartis. consequentia probatur, ideo factus sui iuris tenetur ab omnibus abstinere: quia votum ad illa omnia se extendit, igitur stante matrimonio sese ad eadem extendebat, & obligabat, ut mandaretur executioni, quantum illæso iure alterius fieri poterat.

Ex quibus patet esse omnino improbabile opinionem quorundam, quos citat Sanchez lib. 9. disput. 44. num. 20. afferentium coniugibus, qui etiam communi consensu castitatem vouerunt, licitam delectationem partis sensitiuæ captam de actu carnali cogitato.

195.

Coroll. Dico quod si quis abstinere ab actu carnali cogitato.

QVÆSTIO VII.

De impedimentis matrimonij dirimentibus.

DVBIVM I

Utrum Ecclesia possit constituere impedimenta matrimonij dirimentia?

RESPONSE. Est de fide, definitum in Trident. sess. 24. can. 4. patet ex ipsâ Ecclesiæ praxi à multis sæculis vtitâ; ratio est, quod matrimonium non tantum sit Sacramentum, sed etiam civilis contractus, immò ratio civilis contractus in matrimonio est antiquior ratione Sacramenti, eiusque fundamentum; contractus autem, ut sit & censeatur legitimus, subest dispositioni reipublicæ, ut patet in omnibus aliis contractibus, potestque reipublica varias condiciones exigere, sine quibus contractus non censeatur, vel sit legitimus. potest, inquam, exigere vel ex parte materiæ, vel ex parte consensus, vel ex parte utriusque, ergo Ecclesia potest certas condiciones exigere, sine quibus matrimonialis contractus non sit validus, & proinde potest instituere impedimenta matrimonij dirimentia. Neque id Ecclesiæ competit ex privilegio, sed ex connaturali potestate. nam eo ipso quo est reipublica quædam legitime constituta, habet eam facultatem respectu suorum subditorum, immò, nisi Ecclesia id ad se reuocasset, principes sæculares id possent: quia tamen matrimonium baptizatorum est Sacramentum, & proinde res sacra, Ecclesia conuenienter hanc potestatem sibi reſeruaui, & proinde principes sæculares fideles nequeunt de facto constituere impedimenta dirimentia matrimonij Christianorum sibi subditorum, immò nec Episcopi id possunt, eâ potestate Pontificibus, & Conciliis generalibus reſeruata, utpote maxime conducente ad vniuersale bonum Ecclesiæ, & quæ sit de re maximi momenti.

Dixi principem sæcularem non posse constituere impedimenta dirimentia matrimonij Christianorum sibi subditorum: quia si habeat subditos nondum baptizatos, potest respectu eorum iustâ de causâ impedimenta dirimentia constituere: quemadmodum princeps ethnicus potest respectu

eorum.

Trident.

Imperium meum iuris, ris, fast.

Ecclesiæ conuenienter potestatem sibi reſeruaui, & proinde principes sæculares fideles nequeunt de facto constituere impedimenta dirimentia.

Episcopi non possunt constituere.

Resp.

eorundem. immo iuxta quosdam potest eadem constituere respectu fidelium politice sibi subiectorum, cum Ecclesia non videatur posse restringere eius potestatem, quippe qui non sit Ecclesiae subiectus. sed non est improbabile, quod fideles politice subditi principi infideli eius legibus hac in parte adstringi non possint, Ecclesia in fauorem fidei, & Sacramenti illos subducente potestati principis.

Neque ex dictis sequitur Ecclesiam, vel principem saecularem posse mutare materiam, vel formam huius Sacramenti. nam materia huius Sacramenti est vel legitima traditio corporum, vel ipsa corpora habilia: forma vero est legitimus consensus, quod nunquam mutare potest, nec potest facere, ut vir & femina habiles in se inuicem legitime consentiant, seu per legitimum consensum sibi inuicem tradant dominium corporum in ordine ad generationem, & non ponatur Sacramentum matrimonij: quemadmodum nullus potest efficere, ut non ponatur Sacramentum baptismi, si puer sufficienter lauetur aqua naturali sub legitima forma, & debita intentione. Ecclesia ergo non potest propriè mutare materiam, vel formam Sacramenti matrimonij, sed solum potest aliqua dispo- nere circa id, quod materialiter potest esse materia, & forma, ex quo sequatur, quod vel non sit legitimus consensus, vel materia habilis ad contrahendum: atque adeo potest aliquid remotè, & indirectè circa materiam, & formam Sacramenti, & per consequens circa ipsum Sacramentum. simile quid videmus in Confirmatione, cuius materia, scilicet christus, iure diuino requirit benedictionem Episcopalem ut sit legitima, cuius benedictionis modus relictus est dispositioni Ecclesiae, unde fit, ut benedictio vno tempore legitima, alio tempore non censeatur legitima, & proinde Ecclesia circa materiam Confirmationis potest aliquid indirectè, simile quid etiam cernitur in Sacramento poenitentiae, in quo Ecclesia potest efficere, ut sacerdos, qui validè absoluebat, non absoluat imposterum validè, tollendo scilicet ab eo iurisdictionem.

Impedimenta matrimonij dirimentia sunt varia, quorum aliqua sunt iuris naturae, aliqua iuris Ecclesiastici, alia secundum quosdam iuris diuini, secundum alios vero iuris Ecclesiastici, de quo in sequentibus. hae matrimonium attentatum reddunt irritum & inuolidum: comprehenduntur autem his versibus:

*Error, coactus, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, viri, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibus.*

Quibus accedit impedimentum consensus praestiti absque praesentia parochi, & duorum testium ubi Trident. est receptum, de quo sufficienter dictum est in superioribus.

DUBIUM II.

Utrum error personae matrimonium dirimat?

V.g. vult aliquis accipere Mariam in uxorem, sese illi offert Catharina, quam putat esse Mariam, ideoque cum illa contrahit, petitur an matrimonium sit validum?

Resp. negatiue. quia deest consensus in eam, quae illi sistitur, cum non consentiat in Catharinam, sed in Mariam, unde fit, ut desit voluntarium

circa materiam contractus, quod contractum reddit irritum. quod etiam verum est, quamuis error, si tantum sit concomitans, ut si quis contrahat cum certa putans esse aliam, cum qua vellet contrahere, si id notaret: quia haec voluntas concomitans non influit in hunc contractum, atque adeo ea non obstante non inuenitur voluntarium in actu, neque reipsa praebetur actualis, vel virtualis consensus respectu personae, quae offertur, sed omnia peraguntur ex apprehensione personae, quam quis animo concepit, in quam proinde fertur voluntas contrahentis. Quod intelligitur, si res fiat iuxta communem rationem procedendi, si quis enim simul cum errore concomitante habeat voluntatem conditionatam, qua velit contractum inire cum Catharina, si ea, quae illi sistitur, non sit Maria, sed Catharina, matrimonium subsistet: quia inuenitur reipsa sufficiens voluntarium, & consensus in Catharinam.

Ex discursu facto constat errorem personae iure naturae matrimonium irritare, quod communissimè tenent Theologi, atque adeo fieri non posse, ut contractus sit validus, si error versetur circa personam, cum qua initur.

Nec dictis obstat, quod alia Sacramenta validè ministrantur, quantumvis erretur circa subiectum cui conferuntur: quia in iis non initur contractus cum personâ, cui ministrantur, nec interest ministri, cui Sacramenta applicet: in matrimonio vero initur contractus, & proinde quod contractus irritos reddit, irritat etiam matrimonium, potestque contrahens intentionem suam sine peccato ad certam personam restringere.

Notandum in contractu matrimoniali interdum incidere errorem conditionis personae, ut quod ea putetur virgo, nobilis, diues, cum qua matrimonium contrahitur. huiusmodi error non irritat matrimonium, etiamsi daret causam contractui (excepto errore conditionis seruilis, de quo postea) quia non obstante tali errore, & per consequens inuoluntario circa accidentia personae, cum qua contrahitur, inuenitur sufficiens notitia, & consensus circa personam, & circa materiam contractus, solumque est error circa qualitatem, nisi quis ita adhæreat conditioni, ut nolit consentire in hanc personam, nisi ut affectam tali conditione, & nisi iuxta intentionem contrahentis, conditio transeat in conditionem personae. nam si quis velit ducere primogenitam Regis Franciae, & illi offeratur alia ignota tanquam primogenita, non subsistet matrimonium propter errorem circa personam. non enim fertur in personam oblatam, nisi tanquam in primogenitam, in quam solam consentit, & non in aliam.

Quando autem error conditionis transeat in errorem personae, satis difficulter cognoscitur. Placeat quod docet Sanchez lib. 7. de matrimonio disput. 18. num. 26. & 27. scilicet quoties qualitas, in qua erratur, non determinat indiuiduam personam, non esse errorem personae, sed qualitatis, ut si quis fingat se primogenitum Regis, non determinando cuius Regis sit primogenitus, femina ex tali errore eum ducens dicetur solum errare circa qualitatem: si vero qualitas designet indiuiduam personam, tunc error censetur ipsius personae, seu redundat in errorem personae, & matrimonium dirimit, ut si quæ nubat ei, quem putat primogenitum Regis Franciae, cum non sit. nam femina mediâ illâ qualitate apprehendit indiuiduam personam, in quam vult tendere, & cum qua vult

contra-

Licet error sit tantum concomitans.

Error personae iure naturae dirimit.

Occurrit obiectioni.

Error conditionis personae non irritat, licet daret causam contractui.

8.

Quando error conditionis transeat in errorem personae.

Sanchez.

Ecclesia non mutat materiam, vel formam matrimonij.

Cerale. Do-
ducitur
probatu
tas fene
ne quatu
dam.

Trident.

Impedi-
menta diri-
mentia alia
iuris natu-
rae, alia iu-
ris Eccle-
siastici.

Ecclesia
continua-
re possit
competi
tione con-
trahere
impedimen-
tum.

Episcopi
posse
causare

Resp. neg.

contractum inire. Si persona, cui falsò assignatur certa qualitas, sit nota illi, cum quâ vult contrahere, matrimonium non dirimitur: quia in eâ circumstantiâ error non versatur circa personam, sed sicut in qualitate: similiter non videtur matrimonium dirimi si cui proponatur primogenitus certi Regis, v. g. Franciæ, qui antequam matrimonium ineat, obit, & postmodum traditur parti is, qui erat secundo genitus, quia pars videtur spectare primogenituram, & personam ut affectam illâ qualitate, ita ut eius intentio non videatur restringi ad eam, quæ tempore, quo ei proponebatur, erat primogenita, sed feratur vagè in eam, quæ tempore contractus est primogenita.

D V B I V M I I I.

Vtrum conditio seruili dirimat
matrimonium?

Resp. affir.

Cap. propo-
sui.

Res p. dirimere, si liber contrahat ignoranter cum aliquâ seruâ. patet ex cap. ultimo de coniugio seruorum, & potest colligi ex cap. proposuit, eodem titulo, quod etiam videtur dicendum, quamvis ignorantia conditionis seruili sit crassissima.

Dixi, si liber & c. quia matrimonia seruorum inter se non irritantur, ut patet ex cap. i. titulo citato, ubi decernitur matrimonia inter seruos non debere vllatenus prohiberi, & si contradicentibus dominis, & iniuris contracta fuerint, nullâ ratione propter hoc esse dissoluenda.

Dixi, etiam ignoranter, quia si liber ducat in vxorem ancillam, cuius conditionem seruilem nouit, subsistit matrimonium, ut patet ex cap. ultimo citato.

Confir. cap. proposuit, citato decernitur, quod si vir qui seruam in vxorem acceperat, illam carnaliter cognoscat, postquam audiuit esse ancillam, debeat eam retinere tanquam vxorem, ergo idem erit dicendum, si à principio nouerit conditionem seruilem, cum notitia conditionis superueniens contractui non possit maiorem vim habere ad contractum præteritum firmandum, quam notitia contractum antecedens ad illum validum constituendum: immò matrimonium videtur subsistere, si quis dubitans de conditione seruili compatis eam nihilominus accipiat in vxorem: quia talis non potest dici ignoranter seruam ducere. licet enim dubium non omnino tollat ignorantiam, nec adferat notitiam rei, de quâ dubitatur: tamen in ordine ad mores non potest dici fieri ignoranter, quod cum dubio sit. Similiter subsistit matrimonium, si dominus tradat ancillam in vxorem alicui seruitutis conditionem ignoranti, quia eo ipso, quo tradit ignoranti, manumittit. Idem dicendum si seruus ineat matrimonium cum liberâ ignorâ conditionis seruili, & dominus conscius matrimonij dolosè taceat. Idem etiam dicendum, si dominus ancillæ dotem constituat, quia omnibus illis casibus mancipium donatur libertate, ut ex iure civili constat. Quod si manumittat post contractum celebratum, non propterea validatur contractus: quia non efficit, ut tempore contractus non esset ancilla, & ut non duceretur ancilla, cuius conditio ignorabatur, immò non validatur, quantumvis factam liberam ignoranter cognoscat, cum talis copula exerceatur ex vi prioris contractus reipsa inualidi.

Non potest
dici fieri
ignoranter,
quod sit cū
dubio.

Certis casibus man-
cipium donat
libertate.

Capitulo, *proposuit*, citato decernitur quod si quis, postquam audiuit ancillam esse eam, quam in vxorem acceperat, eandem carnaliter cognouit, compellendus sit eam, sicut vxorem, maritali affectione pertractare, ubi indicatur matrimonium per talem copulam conualescere, quod fundatur in aliis iuribus, quia nimirum præsumitur, quod accesserit affectu maritali, per quem accessum matrimonium iniri potest: si tamen reipsa non accesserit affectu maritali, non validatur. Similiter non validatur per huiusmodi congressum, ubi Triid. receptum est, si conditio seruili erat pluribus nota, ita ut præcedens contractus non posset in foro Ecclesiæ censeri legitimus, sed eo casu opus esset rursus contrahere coram paroco, & duobus testibus.

Petes 1. vtrum conualescat matrimonium, si Petrus 1. dubitans de conditione partis, eidem debitum reddat?

Resp. negatiuè, si id solum faciat, ne compartem possessorum bonæ fidei suo iure defraudet, quod facere censetur, nisi eliciat expressiore aliquem actum voluntatis, quo de nouo consentiat in compartem.

Petes 2. an conualescat, si petat? Vasquez 1. 2. tomo 1. disp. 66. cap. 5. num. 29. affirmat, sed videtur verius non conualescere, & si post præmissum examen adhuc remaneat dubium, posse debitum petere, quia potest uti matrimonio vi prioris contractus bonâ fide initi, & exercere actum conjugalem sine præiudicio, & nolendo ius comparti maius tribuere, quam acquisierit per priorē contractum, ut ergo matrimonium per copulam conualescat, opus est ut pars, quæ est libera, intendat compartem cognoscere independentē à priori contractu, quod censetur facere, quando nouit conditionem eius seruilem, vel ut velit tanquam vxorem habere, licet forte non esset libera.

Dices, ut matrimonium conualescat, sufficit si cognoscat compartem, postquam audiuit illam esse ancillam, ut patet cap. *proposuit*, citato: cum tamen auditio non pariat certitudinem.

Resp. si ex auditio solum oritur dubium, in foro conscientie matrimonium non conualescet, quamvis in foro externo præsumatur pro matrimonio, & ita potest explicari cap. citatum, vel dici potest Pontificem non intelligere de quocumque rumore, sed de eo, ex quo prudenter potest iudicari illam, quam quis in vxorem acceperat, fuisse ancillam.

Petes 3. an ancilla rescians contractum fuisse nullum, teneatur volente libero in matrimonium consentire?

Resp. non teneri.

Petes 4. quo iure error conditionis seruili irritet matrimonium? varij censent iure naturæ, sed verius est, quod solo iure Ecclesiastico: quia non videtur iure naturæ magis irritare seruitus ignorata, quam cognita, cum incommoda, quæ militant, quando ignoratur seruitus, etiam militant, quando est nota, ut facile patet consideranti; quando autem nota est conditio seruitutis, matrimonium est validum, ut patet ex cap. 1. cap. *proposuit*, cap. ult. de coniugio seruorum. Item matrimonium liberi cum ancilla, cuius conditio ignoratur, iure naturæ subsistit.

Dices, nullibi apparet ex iure constitutio, quæ hoc impedimentum ab Ecclesiâ sit inductum, ergo referendum est in ius naturæ.

Resp. neg. consequentiam, quia possumus di-
cero

cere vel ius scriptum lapsu temporis periisse, vel saltem consuetudine Ecclesiastica hoc impedimentum fuisse introductum.

17.

Petio 5.

Resp.

Petes 5. an dominus possit prohibere, ne seruus eius matrimonium ineat?

Resp. sepulchris extrinsecis circumstantis, non posse. patet ex cap. 1. titulo citato: non tenetur tamen consentire, ne sibi praedictum creetur. vbi

Notandum quod cum consentit in matrimonium sui mancipij, teneatur sepius illi permittere usum matrimonij, & cohabitationem cum parte, quantum ad praedictum usum requiritur, nec videatur posse vendere in partes remotiores; si non consentit, potest ex causa vendere; quamvis sit consentaneum aequitati ut sine causa non vendat, praesertim in locis remotis. videri potest Nauar. cap. 22. num. 33. & 34. nam quamvis compars videatur sese illi periculo exposuisse: dominus tamen videtur teneri non causare libero notabile grauamen, nisi circumstantiae aliud suadeant.

D V B I V M I V.

Utrum votum castitatis dirimat matrimonium in eundem?

18.

Conclus. 1.

Trident.

19.

Conclus. 2.

20.

Conclus. 3.

Dico 1. votum solenne castitatis per professionem in religione approbatam emissum dirimit matrimonium contrahendum, similiter votum solenne castitatis annexum suspensioni ordinis sacri. est de fide definitum in Trident. sess. 24. can. 9. patet etiam ex cap. vnico de voto in 6. Ex quo capitulo patet hanc vim competere etiam tacite professioni.

Dico 2. votum simplex castitatis, quo aliquis in societate Iesu sit religiosus, dirimit matrimonium contrahendum, de cernitur a Gregorio 13. in bulla, *Ascendente Domino*, data anno 1584.

Dico 3. reliqua vota castitatis simplicia non irritant matrimonium contrahendum. patet ex cap. vnico de voto citato.

Aduerte religiosum, monialem, clericum in sacris constitutum, matrimonium contrahentem ipso facto incurrere excommunicationem, Clementina vnica de consanguinitate, & affinitate, quam etiam incurrit is, qui scienter contrahit cum moniali, Clem. citata. vbi

Notandum 1. ad hanc excommunicationem incurrendam non sufficere ignorantiam crassam vel supinam contrahentis cum moniali, sed requiri scientiam, vel saltem ignorantiam affectatam quod sit monialis: immo requiri scientiam, vel saltem ignorantiam affectatam quod non liceat contrahere cum moniali. 2. feminam, quae scienter contrahit cum religioso, vel clerico in sacris constituto, non incurrere praedictam excommunicationem. quia Clem. solum disponit de contrahente cum moniali. 3. probabiliter requiri, ut quantum est ex aliis capitulis, matrimonium possit subsistere: quia ius videtur solum velle punire matrimonia inuolida praecise ex parte professionis, unde contrahatur clandestine vbi Trident. receptum est, non incurreretur excommunicatio, item si vel vna pars fidei consentiat, si pubes cum impubere contrahat. ita varij Doctores.

Notandum 2. hanc excommunicationem non incurri a consensente, fauore praestante, mandante, matrimonio assistente, parochio solemnizante matrimonium.

Petes, an eam incurrat is, qui post emissam vota simplicia in Societate, quibus sit religiosus, matrimonium contrahit?

21.

Petio.

Resp.

Resp. videri incurrere; quia Clem. indefinite dicit religiosos, volens excommunicare omnem religiosum, qui non potest matrimonium valide contrahere. si antiqui explicent de professio, mirum non est, quia iure antiquo per solam solemnem professionem status religiosus capellebatur.

D V B I V M V.

Quo iure professio solennis in religione dirimat matrimonium?

RES sunt hac de re sententiae.

22.

Prima sent.

D. Thom.

Caiet.

Lenism.

Prima asserit solemnem professionem id habere vi sua, seu ex ipsa rei natura dicere subsequens matrimonium. ita D. Tho. dist. 38. qu. 1. art. 3. quaest. 3. in corpore, Durand. quaest. 1. Catet. tomo 1. opusculorum tract. 27. quaest. vnica §. *videtur autem vbi*, Petrus Ledesma quaest. 33. art. 2. dub. vnico, conclus. vnica, & alij.

Secunda docet eam vim competere iure diuino. Scotus dist. 38. citata quaest. 2. art. 2. §. *Ex utroque*, Henríquez lib. 12. cap. 5. nu. 3. & alij.

Secunda.

Sot.

Henríq.

Tertia censet competere solo iure Ecclesiastico. Scotus dist. 38. quaest. vnica sub finem, Rich. artic. 7. quaest. 2. solutione ad 3. in fine, Paludan. quaest. 4. art. 4. conclus. 11. Angelus verbo *matrimonium* 3. impedimento 5. Lessius lib. 2. de iustitia, cap. 41. dubit. 8. num. 68. Rebellius lib. 3. quaest. 4. sect. 1. num. 5. Malderus tract. 10. de iustitia cap. 5. dubio 3. Sanchez lib. 7. disp. 23. num. 24. & disp. 26. num. 4. Resp. &

Tertia.

Scot.

Richard.

Palud.

Angel.

Less.

Rebell.

Malder.

Sanchez.

Dico 1. longe verius est professionem solemnem castitatis in religione approbatam non irritare subsequens matrimonium ipso iure naturae.

23.

Conclus. 1.

contra pri-

ma sent.

Prob.

Probat, si eo iure irritaret, oriretur ex eo quod per eam homo sese traderet Deo, & religioni, vel ex eo quod statum sublimiorem capesseret; neutrum autem potest facere, ut intra limites iuris naturae irritetur matrimonium. Non prius, quia seruus, qui est res alterius, valide potest matrimonium inire; ergo non repugnat iuri naturae personam alicui traditam alio genere traditionis, quam matrimoniali, inire validum matrimonium; seu, ergo traditio alterius rationis non facit, ut persona sit incapax matrimonij contrahendi.

Conferuit, per quam vnus debet alteri opera manualia, videtur magis obflare facultati in eundem matrimonium, quam traditio facta religioni.

2. Constat per vota simplicia post biennium in Societate emissam aliquem fieri verè, & proprie religiosum, ut patet ex bulla Gregorij 13. praecedenti dubio citata, & ex alia eiusdem, quae incipit, *Quanto fructuosius*, data anno 1582. atque adeo per huiusmodi vota aliquem se mancipare Deo, & tradere religioni, constat etiam illa vota non irritare matrimonium subsequens ex rei natura, cum ante praedictam constitutionem, *Ascendente Domino*, non irritaretur matrimonium eius, qui in societate per illa vota factus fuerat verus religiosus: satis enim patet ex ipsa bulla Gregorij 13. ius nouum condere. Ex quo sequitur quod votum, per quod aliquis traditur religioni, cuius membrum constituitur, non irritet ex rei natura matrimonium subsequens; non potest autem adferri peculiaris ratio, ob quam traditio facta per professionem illud irritet.

3. Tradi-

3. Traditio per matrimonium, & professionem simul possunt inueniri in eo, qui matrimonio consummato profiteretur in religione approbatâ casibus à iure concessis vivâ comparte: constat enim hunc & valide profiteri, & tamen non dissolui matrimonium, ergo non est, quod asseratur præcedentem professionem iure naturæ irritare matrimonium, eod quod sit traditio sui alteri facta.

Nec potest solide dici professionem superuenientem non dissolvere quidem matrimonium prius consummatum, dirimere tamen ineundum, cum argumentum videatur contrarium ostendere, scilicet nullam suppetere rationem asserendi obstare professionem antecedentem, si superueniens non tollat traditionem per matrimonium factam, cum ex eo quod traditio facta per subsequentem professionem non tollat priorem traditionem per matrimonium, manifeste sequatur, quod se compatiatur iure naturæ, & quidem uterius contractus præcedat.

Ex quibus patet professionem non irritare subsequentem matrimonium eod quod per illam homo alteri se tradat, quibus adde 4. quod solemniter professio possit considerari, prout respicit Deum, & prout respicit religionem: si priori modo consideretur, non differt naturâ suâ à voto simplici castitatis etiam emissio in seculo, igitur ex rei naturâ vnum non potius dirimit matrimonium, quàm aliud, nec potius censendum est continere traditionem, quàm aliud. Assumptum probatur, per votum castitatis homo solum promittit Deo abstinere à veneris, nec censetur se aliter ei consecrare; id autem totum etiam præstat per votum simplex castitatis: differentia verò, quæ cernitur per respectum ad religionem, non facit ut professio naturâ suâ matrimonium irritet, ut patet in simili in voto simplici, quo quis se tradit religioni, quod tamen naturâ suâ non dirimit matrimonium. ratio est, quod non repugnet, quod aliquis se tradat religioni, ut à superiore gubernetur, & se tradat comparti ad actum coniugalem.

24. Secunda pars argumenti, quod scilicet professio ex rei naturâ non irritet matrimonium futurum ex eo quod per illam status sublimior capeatur, probatur 1. quia per vota simplicia in societate capeatur status sublimior, cum tamen ea non irritent matrimonium iure naturæ, ut patet ex dictis. 2. quia etiam capeatur status sublimior per susceptionem sacerdotij, quod similiter non irritat naturâ suâ matrimonium. 3. etiam capeatur per vota etiam in manibus Episcopi emissâ, quæ matrimonium non irritant.

Obiectio 1. Obicitur 1. canon citatus Concilij Trident. ubi damnantur qui asserunt clericos in sacris ordinibus constitutos vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto. quâ loquendi formâ indicat votum solemniter dirimere ex rei naturâ matrimonium contrahendum.

Resp. neg. id significari, pro quo Notandum controuersiam esse inter Doctores, quomodo sacer ordo matrimonium dirimat, an ratione voti, cui lege Ecclesiasticâ hoc impedimentum annectitur, an verò ex solâ lege Ecclesiasticâ præciso voto, similiter esse controuersiam quomodo votum solemniter castitatis in religione matrimonium dirimat, à quibus quæstionibus abstinet Concilium definiens matrimonium clericorum constitutorum in sacris ordinibus, & religio-

forum solemniter professorum esse irritum, siue id fiat vi voti, siue ex lege Ecclesiasticâ, de quo nihil in alterutram partem decernit.

Obicitur 2. cap. cum ad monasterium, de statu monachorum, in fine, dicitur: Adhuc in presentia, et in custodia castitatis adeo est annexa regula monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere, ergo professio castitatis in religione matrimonium ex rei naturâ dirimit.

Resp. neg. consequentiam, 1. quia custodia castitatis non minus est annexa statui religioso, qui per vota simplicia initur in societate, quàm sit in aliis religionibus, & tamen votum simplex castitatis matrimonium in eâ non dirimit iure naturæ. 2. quia ex argumento solum sequitur monachum manentem monachum non posse licite veneris vacare, & Pontificem non posse in eo dispensare, non verò sequitur matrimonium illicitè à monacho contractum iure naturæ esse invalidum: quemadmodum enim fieri potest, ut remanente obligatione voti simplicis matrimonium valide incurratur ab eo, qui vult castitatem, ita spectatâ rei naturâ idem videtur dicendum de solemniter professo in religione.

Obicitur 3. votum simplex castitatis dirimit subsequentiâ sponsalia, ergo & solemniter matrimonium.

Resp. neg. consequentiam, ratio discriminis est, quod quando duæ promissiones ita sunt successivæ, ut posterior sine peccato nequeat mandari executioni, non obliget; ita autem dici potest rem se habere in eo, qui post votum castitatis sponsalia contrahit: matrimonium verò continet sui traditionem in ordinem generationis, quæ traditio potest subsistere, quamvis fiat illicitè cōtra prius votum.

Plura alia congerit Ledefhia supra, quæ partim ex dictis manent soluta, partim solum ostendunt professionem castitatis iure diuino dirimere matrimonium, de quibus iam dicendum. itaque

Dico 2. verius est quod solemniter professio castitatis in religione approbatâ non dirimat matrimonium iure diuino, sed tantum Ecclesiastico.

Probatur, hic effectus optime potest referri in constitutionem Ecclesiasticam, quæ in fauorem status perfectionis, & quia homo perfectè se tradit religioni, hoc impedimentum amittit voto castitatis, & de cætero non apparet de iure diuino, seu de privilegio hoc iure diuino concessio professioni religiose, ergo longè probabilius est professionem solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimere.

Minor probatur, neque apparet ex scripturâ, neque ex Ecclesiæ sensu hoc privilegium iure diuino professioni esse concessum, neque ratio aliqua sufficit, ut id asseramus, quia ex solâ ratione, seu congruentiâ, quæ ostendit quidem potuisse ita fieri, non tamen ostendit factum, non possumus in alterutram partem quidquam concludere, quando agitur de facto pendente à diuinâ voluntate, sed ex alijs principiis id est colligendum, scilicet ex scripturâ, traditione, sensu Ecclesiæ.

Confir. privilegium hoc & cessandum esset concessum professioni religiose, quia per eam assumitur status perfectionis, vel quia continet sui traditionem: neutrum autem sufficit, quia etiam per vota simplicia in societate, per susceptionem ordinis sacerdotij, per emissionem votorum in manibus Episcopi status perfectionis assumitur, cum tamen nihil istorum iure diuino matrimonium dirimat, vota etiam simplicia, quibus homo in societate sit religiosus, continent traditionem.

Probatur.

Reijciatur
replica.

26.

Obiectio.

27.

Constitutio.

28.

Constitutio.

29.

Constitutio.

30.

Constitutio.

31.

Constitutio.

32.

Constitutio.

33.

Constitutio.

34.

Constitutio.

35.

Constitutio.

36.

Constitutio.

37.

Constitutio.

38.

Constitutio.

39.

Constitutio.

40.

Constitutio.

41.

Constitutio.

42.

Constitutio.

43.

Constitutio.

44.

Constitutio.

45.

Constitutio.

46.

Constitutio.

47.

Constitutio.

48.

Constitutio.

49.

Constitutio.

50.

Constitutio.

51.

Constitutio.

52.

Constitutio.

53.

Constitutio.

54.

Constitutio.

55.

Constitutio.

56.

Constitutio.

57.

Constitutio.

58.

Constitutio.

59.

Constitutio.

60.

Constitutio.

61.

Constitutio.

62.

Constitutio.

63.

Constitutio.

64.

Constitutio.

65.

Constitutio.

66.

Constitutio.

67.

Constitutio.

68.

Constitutio.

69.

Constitutio.

70.

Constitutio.

Prob. 2. Voti solemnitas sola Ecclesiæ constitutione inueniatur. 28. Variæ solutiones huius argumenti reijciuntur. Prima.

Vna est Pontificem loqui de solemnitate accidentali voti, v.g. de consecratione, & benedictione exteriori. sed ea nullo modo est admittenda, quia in professione tacita huiusmodi benedictio non inuenitur, cum tamen de ea etiam intelligatur, quod illius solemnitas ex constitutione Ecclesiastica sit inuenta. 2. in Societate Iesv. nulla benedictio exterior adhibetur in professione, cum tamen etiam in ea habeat locum decisio cap. citati.

Confir. ex constitutione Gregorij 13. *Ascendente Domino*, citatâ, in qua docetur solemnitatem professionis etiam in Societate esse ex Ecclesiastica constitutione.

Alia solutio est Pontificem solum loqui de solemnitate voti clericalis, quæ est iuris humani. sed hæc expositio aperte refellitur ex prædicta constitutione, *Ascendente*, in qua Gregorius decernit per vota simplicia aliquem in Societate fieri religiosum, etiam si non sint solemnia, quia solemnitas voti ex solâ Ecclesiæ constitutione inuenta est, ubi supponit in cap. unico citato agi de solemnitate voti religionis.

Confir. aliâs discursus Pontificis esset vitiosus, & fundamentum infirmum, quomodo enim potest decerni aliquos sine solemnî professione verè constitui religiosos, eo quod solemnitas sit ex constitutione Ecclesiastica, si dictum illud intelligatur solum de solemnitate voti clericalis?

Tertia solutio est Pontificem agere quidem de solemnitate substantiali etiam voti religionis, sed solum velle, quod Ecclesia sola repererit votum solemnne religionis dirimere matrimonium nondum consummatum. sed nec hæc expositio potest subsistere, quia Pontifex non dicit solemnitatem inuentam ab Ecclesiâ, sed ex constitutione Ecclesiæ, quâ loquendi formâ satis patet, quod velit docere Ecclesiam constituisse solemnitatem voti, ita ut non fuerit iure diuino constituta.

Probatur, non potest prudenter dici septem Sacramenta esse solâ constitutione Ecclesiæ inuenta: cum tamen Ecclesiâ à Deo edocta repererit illa à Deo esse instituta.

Quarta solutio est Pontificem nolle solemnitatem ipsam inuentam ex Ecclesiæ constitutione, sed tantum modum solemnitatis. verum id repugnat textui, quia eodem modo loquitur de solemnitate voti in religione, & de solemnitate voti in susceptione ordinis sacri; hæc autem etiam alijs parentibus est ex Ecclesiæ constitutione, & non tantum aliquis eius modus.

Confir. ex eo quod modus benedictionis Christi-
matis sit à Christo relictus dispositioni Ecclesiæ, non potest dici benedictionem ad Sacramentum Confirmationis necessariam esse ex solâ constitutione Ecclesiæ inuentam.

Quinta solutio est, quod optimè consistat solemnitatem institutam ab Ecclesiâ, & tamen votum solemnne naturâ suâ, vel iure diuino matrimonium contrahendum dirimere: quemadmodum

consecratio calicis ab Ecclesiâ est inuenta, eaque est ratio, cur calix non possit in profanos vsus conuerti durante consecratione. Sed id non dicitur consequenter, si votum neque ex rei naturâ, neque ex iure diuino vllam habeat solemnitatem.

Confir. eadem ratione dici posset votum solemnne in susceptione Ordinis sacri dirimere matrimonium contrahendum ex rei naturâ, vel iure diuino, quod tamen etiam ab alijs negatur.

Ad id quod adfertur de calice dico provenire ex constitutione Ecclesiæ, quod calix vsibus profanis applicari nequeat, licet conuenienter naturis rerum id sit statutum.

Obijciunt 1. non inuenitur initium constitutionis Ecclesiasticæ, quâ votum solemnne in religione dirimat matrimonium contrahendum.

Resp. id tantum concludere hoc impedimentum iam ab initio Ecclesiæ introductum, ab ipsis scilicet Apostolis autoritate Ecclesiastica, vnde dicimus cum quibusdam hoc impedimentum videri descendere ex Apostolica constitutione.

Obijciunt 2. canon *si quis sacrum*, 27. quæst. 1. ubi citatur epistola Syriaci Papæ cap. 6. de re-latis Deo consecratis nubentibus. in qua dicitur: *unde & verbo Domini & canonicâ autoritate in hac sanctâ synodo præcipimus, ut omnino separentur, & iuramento colligentur, ut ulterius non sub uno cohabitent tecto.* ubi Pontifex decernit contrahentes matrimonium post votum solemnne verbo Domini separandos, igitur tale matrimonium iure diuino est inualidum.

Resp. neg. Pontificem id dicere: solum enim præcipit, ut separentur, potestate à Deo accepta: quemadmodum Pontifices solent dicere *in nomine Dei, in Dei autoritate præcipimus* &c. quibus formis loquendi non volunt omne id, quod sanciunt, iam antea diuino iure esse sancitum, sed solum se autoritate à Deo acceptâ id sancire.

De impedimento, quod contrahit is qui ordinem sacrum recipit, dictum est tract. de Sacramento ordinis dub. 19.

• D V B I U M VI.

De impedimento cognationis spiritualis.

COGNATIO spiritualis est necessitudo quarundam personarum ex aliquibus Sacramentis ortam, scilicet baptismo, & Confirmatione. hæc dirimit matrimonium postea contrahendum iure Ecclesiastico. indicatur can. *si quis filium*, 30. quæst. 1. & clariùs patet can. *de eo*, eadem quæst. & cap. *veniens*, de cognatione spirituali, cap. 1. eodem titulo in 6. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformatione matrimonij.

Oritur verò ex collatione baptismi inter conferentem & susipientem, eiusque parentes. Item inter susipientem aliquem de sacro fonte, & susceptum, eiusque parentes, & iure antiquo inter susceptum & vxorem susipientis antea carnaliter cognitam, similiter eiusdem susipientis filios.

Præterea inter parentes baptizati & vxorem susipientis antea cognitam. Itaque paternitas spiritualis orta ex baptismo vel Confirmatione dirimit matrimonium postea inendum item

P p p p

compa-

Prob. 2. Voti solemnitas sola Ecclesiæ constitutione inueniatur.

28.

Variæ solutiones huius argumenti reijciuntur.

Prima.

29.

Secunda solutio.

Refp.

30.

Tertia solutio.

Quarta solutio.

31.

Quinta solutio.

compaternitas, 3. iure antiquo confraternitas. circa quæ

Et unde non. Notandum i. impedimentum hoc non oriri ex alijs Sacramentis, vt patet ex cap. vlt. tit. citato,

36. Non oritur etiam ex baptismo inualido, ut si quis rebaptizet, sicut baptizet &c. Idem dicendum de Confirmatione: oritur tamen ex baptismo valido etiam minus solemniter, unde si quis minus solemniter aliquam baptizet, non potest eam, vel eius matrem in vxorem accipere. Idem iuxta Naaar. cap. 22. num. 40. & quosdam alios dicendum de Infipiente in tali baptismo, quamvis alij non improbabiler in hoc casu contrarium sentiant.

Porro hoc impedimentum oritur quantumvis ignoretur: nam lex irritans legitime promulgata vim suam obtinet, etiamsi ignoretur, idque verum est, etiamsi necessitate cogente aliquis baptisum contulerit. hinc si quis cogente necessitate proprium filium ex fornicatione susceptum baptizaret, non potest postmodum eius matrem in vxorem accipere. Idem dicendum de tenente iniunctibiliter ignorante legem irritantem.

Quæstio. Quæri potest, an hoc impedimentum incurra-
tur, quando baptizans non est baptizatus? vide-
tur enim non contrahi, cum lex Ecclesiastica non
possit eum respicere. & ita tenent multi, quos co-
tat & sequitur Sanchez lib. 7. disput. 60. num. 7.
quorum sententia est probabilis, quamvis etiam
sit probabile contrahi, quia lex nullam facit ex-
ceptionem, neque ea aliunde colligi potest. &
quamvis Ecclesia non possit directè infidelem re-
spicere; potest tamen ex consequenti, impediendo
fidelem, ne cum illo contrahat, postquam infide-
lis baptismum susceperit, & invalidando ma-
trimonium attentatum. satis etiam patet ali-
quem posse contrahere impedimenta varia indu-
cta ab Ecclesiâ propter actum in infidelitate exer-
citum. & ita tenet *Mossâ* can. in *baptismate*, de
consecratione, distinct. 4. *Henriquez* lib. 12. cap. 11.
num. 2.

39. Notandum 2. vt aliqui tanquam Patrini contrahant hoc impedimentum, requirit vt teneant puerum, & tangant, dum baptizans quoad substantialia celebratur, vel statim de sacro fonte suscipiant, vel teneant, quia canones his vocibus vtuntur, vt patet ex pluribus can. 30. quæst. 1. & ex cap. *Martinus*, & cap. *Veniens*, de cognatione spirituali, cap. 1. & vltimo eodem titulo, in 6. ex Trident. cap. 2. c. 84to.

Idem patet ex responsis Cardinalium. vnde qui
solum assistunt baptismo etiam adulti non tan-
gentes, hanc cognationem non contrahunt: quam-
vis Sa verbo, *matrimonij impedimenta dirimentia*, nu.
7. & quidam alij contrarium teneant quia cano-
nes requirunt tentionem, tactum, susceptionem,
quæ dicunt aliquid physicum. non tamen est nec-
cessarium, vt carnem immediate teneant, vel tan-
gant, sed sufficit, si contingant vestimenta eius
qui baptizatur, quia etiam hac ratione dicimur
alium tangere, tenere, sufficere etiam tenere in quodam
linceo, vel disco &c.

Quod si is, qui accipitur in patrinum, non te-

neat, vel tangat, dum perficiuntur essentialia baptisimi, requiritur vt immediatè lenet, vel suscipiat de sacro fonte. quod indicant canones citati, vnde non sufficit dari ab alio; qui prius leuauerit, vt si concurrant vir, & mulier, ad hoc vt mulier sit, & censetur susceptrix, non sicut vt vir suscipiat puerum baptizatum, & cum tradat mulieri: sed requiritur, vt ipsamet immediatè suscipiat saltem de manibus baptizantis, vt patet ex quadam responsione Cardinalium circa cap. 2. Concilij Trid. ex qua patet susceptionem, cuius meminerunt antiqui canones, ita intelligendam, atque adeò non aliter contrahi hanc cognitionem, etiam vbi Trid. non est receptum.

Requiritur etiam, vt non solum materialiter teneant, vel leuent, sed vt faciant ex confusa fide intentione exercendi caeremoniam ab Ecclesia praescriptam. quod si hoc modo se habeant, hanc cognitionem contrahunt, quomodo nihil responderint in praetio catechismo, vel non fidebantur verbo: satis enim fideiubent facto, ponendo actum ab Ecclesia praescriptum, & iuxta ipsius Ecclesiae intentionem.

Aduerte licet sit conformius antiquis canoni-
bus, vt vnus vel vna puerum de sacro fonte susci-
piat: tamen vbi Trid. non est receptum, si plures re-
ipsâ teneant puerum dum baptizatur, vel susci-
pian de baptismo, omnes contra hunc hanc cognati-
onem, vt patet ex cap. vltimo de cognatione spi-
rituali, in 6.

Dicta de baptismo sunt intelligenda etiam de Confirmatione, vt patet ex cap. citato, & alibi: que vt hæc cognatio spiritualis contrahatur ratione Confirmationis, requiritur vt patrinus alium teneat, dum confirmatur, vel immediate suscipiat a confirmante.

Peter 1. an, vt ſuſceptor contrahat hanc cognationem, requiratur, vt in baptiſmo ſit baptizatus, & in Confirmatione ſit confirmatus? Aliqui negant.

Alij censent non contrahi, quando suscipiens non est baptizatus, contrahi verò in Confirmatione. quamvis susceptor non sit confirmatus.

Alij vero censent etiam in Confirmatione requiri, vt susceptor sit confirmatus. Henriquez num. 2. citato, Vid. in summā num. 51. Suarez quest. 7. art. 10. in commentario, Sanchez disp. citatā num. 20. potestque probabiliter colligi ex can. in baptizmate, de consecratione, dist. 4. vbi dicitur: in baptizmate, vel in chrismate non potest alibi suscipere in filiolem, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus. vbi videtur insinuari ad hanc cognitionem contrahendam requiri respectu baptismi, vel Confirmationem, videri potest Glossa ibidem.

Dices, religiosus suscipiens contrahit cognationem, ergo etiam non baptizatus, vel non confirmatus.

Resp. neg. consequentiam, quia licet religiosus
peccet: tamen eius actus non irritatur, sicut videtur
irritari actus non baptizati, vel non confirmati.

Pet. 2. an suscipiens nomine alterius hanc co-
gnationem contrahat?

5. Resp. negatiue: contrahit enim is, cuius no-
mine suscipit, vt declarauit congregatio in caput.
2. citatum, quæ declaratio non solum habet lo-
cum, vbi Trid. receptum est, sed etiam alibi, cum
per eam videatur doceri iuxta morem Ecclesiæ
vnum pro alio posse hoc munus obire, quod etiam
declarat praxis principum, qui solent esse patri-
ni per procuratores, neque eâ in rependente ali-

quo modo ex usu, magnopere virgere possunt verba, *suscipere, tangere*, &c. quia commodè possunt explicari per se, vel per alium ad id deputatum.

Dubium. Sed quid si mandans intermedio tempore mandatum reuocet? Sanchez disput. 59. censet retentam nostram sententiam in eo casu non contrahere. ita num. 8. quae sententia est probabilis.

45. Notandum iure antiquo hanc cognationem fuisse extensam ad compatem suscipientis ab eo carnaliter cognitam. unde secundum illud ius non tantum suscipiens est cognatus spiritualis suscepti, vel parentum eius, sed etiam illius vxor antea carnaliter cognita, patet cap. *Martinus*, de cognitione spirituali, ubi agitur de compaternitate, & cap. 1. eodem titulo, in 6. ubi agitur tam de compaternitate, quam de maternitate, quam contrahit cum suscepto. Dico, antea carnaliter cognitam, quia id expresse requiritur cap. 1. citato, & insinuat cap. *Martinus*, citato, unde si non fuerit cognita, non contrahit hoc impedimentum, èd quod eius maritus alterius filium suscepit.

Idem dico si solum postea fuerit cognita, quia textus requirit ut antea fuerit cognita. Addo cognitam fornicari non contrahere hoc impedimentum, quia textus solum agunt de vxore, quae scilicet post legitimum matrimonium carnaliter est cognita, antequam vir eius alium de sacro fonte susciperet. vide Henriquez supra qui plures citat littera P.

46. Eadem cognatio contrahitur inter susceptum, & proles suscipientis, ut patet cap. ultimo citato, & varijs can. 10. quest. 3. quod intelligitur de probis naturaliter descendentibus: non verò de adoptiuis, ut notat Nauar. cap. 22. num. 36. intelligitur verò etiam de illegitimis, quia textus generaliter loquitur, & similiter de natis post alterum susceptum, quod patet ex cap. 1. citato: tum quia indistinctè loquitur, tum quia de vxore expressit ius carnaliter ante susceptionem cognitam, ex qua diuersitate loquendi satis patet ad hoc, ut inter baptizatum, & proles suscipientis contrahatur spiritualis cognatio, non requiri ut ex natæ sint ante susceptionem alterius de sacro fonte. Idem manifestè patet ex cap. *super quibus*, qui est Urbani, & can. *post susceptum*, qui est Paschalis, quest. 3. citata.

Nec obstat cap. *tuus*, de cognitione spirituali; quia ibi quidem respondetur ad speciem facti propositam; ius tamen non restringitur ad illam, cum aliunde contrarium colligitur.

47. Contrahitur insuper hæc cognatio inter baptizatum, & proles baptizantis, ut patet ex cap. ultimo de cognitione spirituali.

Ex quibus patet inter quas personas iure antiquo matrimonium reddatur inualidum ratione cognationis spiritualis, atque etiam nunc reddatur ubi Trid. non est receptum. Trid. verò cap. 2. citato hoc impedimentum ad pauciores personas restrinxit tollens omnem fraternitatem spirituales, 2. eam compaternitatem, quæ intercedit inter parentem suscepti & vxorem suscipientis, 3. filiationem, quam contrahit baptizatus cum vxore suscipientis antè cognita, & ita ubi Trid. receptum est, cognatio spiritualis solum contrahitur inter baptizantem ex vna parte, & baptizatum, eiusque parentes ex alia, 2. inter patrum, & susceptum, eiusque parentes. ubi

48. Notandum 4. Concil. cap. citato quædam statuere ad præsens institutum pertinentia. ut in ba-

ptismo ad summum vnus, & vna baptizatum suscipiant, & ut parochus, antequam accedat ad baptismum conferendum, diligenter sciscitetur ab eis, ad quos spectat, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, eosque tantum admittat. 2. si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales non contrahunt. 3. si secus culpâ, vel negligentia parochi factum fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur. 4. parochus nomina patrum in libro scribat, eosque doceat, quam cognationem contraxerint.

Petes 1. quid dicendum, si plures designentur à parochio?

Resp. omnes contrahere hanc cognationem. ita Nauar. cap. 22. num. 39. Sa supra num. 5. Sanchez disput. 57. num. 14. & plures alij. patet ex Trid. dicente: *quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahant*, ubi implicite vult designatos contrahere.

Confir. Concil. solum statuit puniendum parochum, cuius culpâ, vel negligentia plures, quam vnus, & vna baptizatum leuent: non verò decernit eo casu cognationem non contrahi.

Petes 2. quinam contrahant hanc cognationem, si pastor alios designet, quam designarunt parentes?

Resp. omnes contrahere si tangerint, vel leuent: nam quamuis parochus ipse debeat voluntati parentum se conformare, ut bene, & prudenter faciat: si tamen secus faciat, actus videtur validus. Sanchez tamen num. 16. censet solos designatos à parentibus contrahere, quod etiam est probabile.

Petes 3. quinam contrahant, si parochus non admiserit designatos à parentibus, qui tamen tangerint?

Resp. si legitime exclusit, ut quia sunt excommunicati, heretici, &c. exclusi à parochio non contrahent cognationem: si verò non subfuerit legitima causa, contrahent, quia tetigerunt designati, quod per Trid. solum videtur requiri.

Petes 4. an contrahatur cognatio, quando nullus designatur.

Resp. contrahi, & quidem omnes tenentes, contrahere iuxta moderationem paulò post ponendam. ita Nauar. & Sa supra, Henriquez lib. 12. cap. 10. num. 3. Rebellius 2. parte lib. 3. quest. 6. num. 5. & plures alij.

Probatur, iure antiquo omnes contrahebant, & eo casu per Trid. non statuitur contrarium.

Confir. Concilium solum irritat contactum in ordine ad hanc cognationem quoad eos, qui vltra designatos baptizatum tetigerint, ut ergo aliqui tenentes non contrahant, requirit, ut aliqui sint designati. & ita respondit Congregatio circa cap. 2. citatum. ex qua

Aduerte ut plures tangentes hoc impedimentum contrahant, scilicet eo casu, quo plures designantur, quam vnus, & vna, vel nullus omnino designatur, requiri ut simul tangerint; ita saltem ut non possit notari quis prius tetigerit, iuxta quam moderationem intelligenda responsio ad primam petitionem. itaque licet plures tangerint, si constet quis prior tetigerit, vel quis, & quæ tetigerit, ij soli hanc cognationem contrahunt.

Dices, in casu quartæ petitionis nullus designatur, cum tamen Concil. requirat designari, ut valide suscipiant & hanc cognationem contrahant.

hant. ita Sanchez disp. 57. num. 12. qui censet cum quibusdam aliis nullum eo casu contrahere impedimentum.

Resp. neg. Concil. ita requirere designationem omni casu, ut nullo euentu cognatio absque eâ incuratur: id enim solum habet locum, quando non designati concurrunt cum designatis, ut videtur patere ex textu.

Replica. Dices, Concil. in fine cap. citati ait: *omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Resp. hæc non referri ad singula puncta toto capite enumerata, sed per ea tantum reuocari impedimentum fraternitatis iure antiquo indudum, item aliquâ ex parte compaternitatis: immo verisimile est prædictam sententiam solum referri ad Confirmationem. cum enim Concil. in superioribus egisset de baptismo, & statuisset inter quas personas propter illum contraheretur spiritualis cognatio, in fine ait: *ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediuntur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Confirm. resp. Confir. Trid. in superioribus decreuerat, ut tantum vnus, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, & tamen Sanchez disput. citatâ num. 16. censet, si plures à parentibus designentur, omnes contrahere hoc impedimentum, ergo finis capitis non debet referri ad omnia præcedentia.

Replica altera. Contra: Trid. ut patet ex initio capitis, vult occurrere incommodo multiplicationis impedimenti cognationis spiritualis, atqui secundum dicta non occurreret.

Resp. optimè occurrere: si enim exactè seruentur quæ statuit, pauci hanc cognationem contrahent.

Aduerte dicta de baptismo proportionem locum habere in Confirmatione, ut patet ex eodem Trid.

DVBIUM VII.

De impedimento consanguinitatis, & primo quid sit consanguinitas, linea, & gradus consanguinitatis?

56. Quid sit consanguinitas, quid & quoruplex in eâ sit linea, quid consanguinitatis gradus, idcirco præsens dubium est præmittendum, ut cognoscatur hoc impedimentum.

Communiter autem hoc vel simili modo consanguinitas solet describi: quod sit propinquitas sanguinis personarum ab eodem stipite carnali propagatione descendendum, vel quarum vna ab alterâ descendit, ita ut virtus stipitis in genitis perseueret.

Ex quo obiter faciliè patet, cur ex hoc capite Adam, & Eva non fuerint prohibiti matrimonium inter se contrahere. cum enim Eva non descenderet ex Adam carnali propagatione, seu per veram generationem, constat non fuisse illi consanguineam.

In consanguinitate variae lineæ distinguuntur, similiter & gradus.

57. Est verò linea series ordinata personarum sanguine iunctarum; ut series, quâ vnus dicitur filius,

alius pater, alius proauus, abauus &c.

Linea triplex est: ascendens, descendens, collateralis. duæ priores vocantur lineæ rectæ, tertia dicitur transversa.

Hæc triplex linea sumitur ex habitudine variae, quam personæ sanguine iunctæ habent inter se: aliquæ enim respiciunt alias tanquam sua principia, & ut ab ijs descendentes, conficiuntque lineam descendens, aliz respiciunt personas tanquam principium, & à se procedentes, quâ ratione pater respicit filium, nepotem &c. constituiturque linea descendens, 3. aliz respiciunt se mutuo tanquam procedentes à communi aliquo principio, ex quibus exurgit linea collateralis.

Gradus est distantia personarum sanguine iunctarum in lineâ, quia verò saltem in lineâ collateralis consanguinitas non dirimit matrimonium in infinitum, sed sistitur in aliquo: immo & variorum opinione in lineâ rectâ, regulæ quædam pro dignoscendis gradibus tradi solent.

Prima; quot sunt personæ in lineâ rectâ, tot sunt gradus, vnâ personâ demptâ. ut filius & pater se mutuo in primo gradu contingunt, filius & avus in secundo, filius & proauus in tertio, & ita de alijs: & e contra pater contingit filium in primo gradu &c. & quoad hoc non est discrimen inter supputationem canonicam & civilem, est verò in supputatione graduum collateralium: nam secundum ius civile tot censentur esse gradus in lineâ collateralis, quot sunt personæ collaterales, vnde secundum Iurisconsultos duo fratres sunt consanguinei in secundo gradu, filij fratrum in quarto, patruus & nepos in tertio. videri potest canon ad sedem, 35. quæst. 5. secundum verò ius canonicum aliter initur supputatio, vnde sit

Secunda regula. in lineâ transversa personæ æqualiter distantes ab eodem stipite, eo gradu inter se distant, quo distant à communi stipite. hinc duo fratres contingentes communem stipitem in primo gradu, sunt inter se consanguinei in primo gradu, filij eorundem sunt consanguinei in secundo.

Tertia. cum aliqui distant inæqualiter à communi stipite, censentur eo gradu inter se distare, quo gradu distat remotior à communi principio: ut patruus, & nepos sunt consanguinei in secundo gradu, quia nepos duobus gradibus distat à communi principio, scilicet avo: ratio regulæ est quod cum sint sibi consanguinei ratione convenientiæ cum communi principio, non possint sibi inuicem esse propinquiores quàm sint principio: immo quàm remotior cum eodem principio conueniat, ita decernitur cap. quod dilectio, & cap. ult. de consanguinitate, & affinitate. & hæc supputatio in causis matrimonialibus est seruanda.

DVBIUM VIII.

Verum in lineâ rectâ aliquis gradus iure natura matrimonium dirimat?

Resp. communi sensu primus gradus iure naturæ matrimonium dirimere, atque adeo non valere matrimonium, quod pater tentat iniungere filiâ, mater cum filio.

Probatur, matrimonium ex sua ratione est contractus, per quem traditur dominium corporis alteri coniugi in ordine ad generationem, & actum coniugii.

coniugalem; filium autem committere carnaliter matri, vel filiam patri est omnino illicitum. quod patet non solum ex naturali instinctu omnium gentium, sed etiam quorundam animalium, quæ à tali concubitu abhorrent, ergo illicitum est patrem, & filiam sibi obligari in ordine ad talem concubitus, & proinde contractus, per quem huiusmodi obligatio induceretur, iure naturæ est nullus, & inualidus: cum nemo sese possit obligare & tradere dominium corporis ad id, quod ex rei naturâ est illicitum.

Pro cuius rei declaratione

Notandum parentibus tanquam nostris principijs secundum Deum, à quibus ipsum esse, & vitam accepimus, maximum quemdam honorem, & reuerentiam deberi, qui honor convenienter non comparitur secum familiaritatem filiorum cum parentibus; in actu autem coniugali summa familiaritas inuenitur vnius ad alterum, inuenitur etiam turpitudine quædam verenda, quæ naturaliter repugnat reuerentiæ parenti debita. quod satis declaratur Leuit. 18. *turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tue non discoperies, mater tua est, & non reuelabis turpitudinem eius.* ex quo scripturæ loco, similiter ex naturali iudicio constat in actu coniugali inueniri turpitudinem quandam coniunctam cum irreuerentiâ compatis. Ex his autem conficitur hunc actum non apte consistere cum honore, & reuerentiâ parentibus debita, & proinde parentem, & filiam propriâ auctoritate non posse sibi mutuo tradere dominium corporum in ordine ad huiusmodi actum.

Confer. iura coniugum sunt paria in ordine ad actum coniugalem; id autem videtur repugnare prædicto honori parenti debito.

Ex his & alijs à posteriori colligitur Dominum Deum, qui habet immediatum dominium corporis hominis, non concessisse eidem facultatem ut valide illud traderet alteri in ordine ad generationem.

Potes, an Deus in hoc impedimento dispensare possit?

Resp. posse tanquam supremum Dominum omnis iuris paterni: quamvis enim honor parenti debitus obstat, quæ minus parens, & filia propriâ auctoritate possint dominium corporum sibi inuicem tradere in ordine ad generationem, cum parens propriâ auctoritate non possit cedere illo iure, quod habet ut filia eius turpitudinem non discoperiat: potest tamen Deus iuri paterno præiudicare, & relicta obligatione in ceteris patrem honorandi, in ordine ad actum coniugalem filiam patri æqualem reddere.

Ex dictis patet 1. etiam inter gentiles irrita esse matrimonia patris cum filiâ, & filij cum matre.

Patet 2. Pontificem non posse dispensare, vel concedere, ut matrimonium in eo gradu contrahatur, cum non possit dispensare in præceptis iuris naturæ, nec possit suâ concessione circumstantiam addere, vel tollere, unde sequatur huiusmodi matrimonium non esse irritum.

Cum apud omnes Theologos & Iuriconsultos certum sit primum gradum in linea rectâ matrimonium iure naturæ dirimere: inter eos tamen controuertitur num eodem iure vltiores dirimant, in quâ difficultate duæ sunt in genere sententiae.

Prior negat, cuius sententiæ auctores maxime sunt diuini in assignando gradu, ad quem

vsque sese extendat impedimentum.

Aliqui censent non excedere gradum vigesimum.

Alij censent extendi vsque ad septimum, ita tamen ut ultra quartum Pontifex dispensare possit: quæ sententia non loquitur consequenter, cum Pontifex in impedimentis iuris naturæ dispensare nequeat.

Alij censent protendi vsque ad quartum. ita Angelus verbo *matrimonium*, 3. impedimento 6. Henriquez lib. 12. cap. 9. num. 3. qui censet Pontificem ex commissione Christi posse dispensare in secundo, & tertio gradu, quod videtur voluntariè dictum: cum de hac commissione nullo modo constet.

Alij censent solum extendi vsque ad secundum gradum. ita Sotus dist. 40. quæst. vnicâ art. 3. §. *utraqve reuè epinio*, Valent. disput. 10. quæst. 5. puncto 3. §. *verum in hac re*.

Denique alij censent hoc impedimentum iure naturæ non excedere primum gradum, tenet Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 9. circa solutionem, ad 3. in quam videtur propendere D. Thom. ibidem, citatur etiam in 4. dist. 40. quæst. vnicâ art. 3. in corpore, Ruardus art. 20. ante paragraphum, ex quibus manifestum est, Sa de impedimentis dirimentibus matrimonium num. 4. Sanchez lib. 7. disp. 51. num. 19.

Ex quâ sententiâ sequitur valere matrimonium aut cum nepte per filium, vel filiam ex eo descendente apud ethnicos initum, nisi lex positiua, vel consuetudo apud eos repugnet, & tale matrimonium non debere dissolui illis ad fidem conuersis.

Posterior sententia principalis, eaque communior censet hoc impedimentum extendi ad quemcumque gradum inter ascendentes, & descendentes, tenent Scotus dist. 40. quæst. vnicâ art. 2. Richard. vnico quæst. 4. Durand. quæst. vnicâ art. 2. Palud. quæst. vnicâ art. 3. conclus. 1. Ertius §. 5. Victor. in summa num. 195. Bellar. lib. de matrimonio cap. 28. Toletus lib. 7. cap. 5. in fine, & plures, quos fuscitat Sanchez supra num. 12.

Hæc sententia videtur omnino verior, quia rationes factæ vrgent etiam respectu ascendentium, quod scilicet in actu coniugali inueniatur quædam familiaritas, & turpitudinis repugnans reuerentiæ debita ascendentibus.

Confer. recta ratio dicitur indecens esse, quod filia possit dici, & esse nouerca patris sui, cum pater maximam reuerentiâ naturalem ei deberet, quod non satis coheret, cum illâ reuerentiâ, quam ipsa met filia patri suo debet.

Ex his patet solutio ad rationem Caietani, quod auus & alij ascendentes non sint principium per se nepotum, sed solum per accidens, cum filius possit esse sine auo; quamvis enim auus hoc sensu sit principium, sine quo nepos esse possit, id tamen non obstat, quod minus illi personæ summa reuerentia naturaliter debeatur, fundata in illâ naturali coniunctione, quæ est inter auum, & nepotem: cum etiam is, qui dicitur filius, possit esse sine patre, qui tamen si simul existant cum dependentiâ vnius ab altero, filius summam reuerentiam patri debeat.

Dices, S. Thom. loco citato ad 3. censet hoc impedimentum restringi ad primum gradum.

Resp. neg. assumptum, quia S. Thom. non opponit parentes alijs ascendentibus, ut patet

Non loquitur consequenter.

Angel. Henric.

Sotus. Valent.

Caiet.

Ruard. Sa.

Sanchez.

66. Coroll.

67.

Posterior sentent.

Scot.

Richard.

Durand.

Palud.

Ertius.

Bellar.

Tolet.

68.

Solutio ad rationem Caietani.

69.

Obiectio ex D. Tho.

Resp.

ex fine responsionis, sed collateralibus, & eius discursus est intelligendus iuxta membra opposita, neque vult exacte recensere eos omnes, inter quos solos iure naturæ est indecens carnalis commixtio, sed solum ponit exemplum certissimum, ut ostendat incestum peculiarem deformitatem continere, cuius contrarium in argumento 3. sumebatur. Idem dicendum ad locum 4. sententiarum.

70.
Obiectio
altera.

Dices: saltem in remotioribus gradibus hoc impedimentum non videtur induci, quia alioquin lex canonica male restrinxisset impedimenta ad 4. gradum.

Resp.

Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico impedimenta per ius canonicum inducta non respicere gradus linear rectæ, sed solum transversæ, quamvis à fortiori intra illos quatuor gradus linear rectæ in omni opinione matrimonium reipsa inualidè contrahatur.

D V B I V M IX.

Virum in lineâ transversâ aliqui gradus matrimonium dirimant iure naturæ?

71.

Prior quaestio.

DVPLEX hic quaestio est agitata: Prior, num in lineâ transversâ aliqui gradus iure naturæ matrimonium dirimant? Posterior, num plures, an primus? ubi peculiariter videndum, num omnes gradus in Levit. prohibiti cap. 18. ipso iure naturæ matrimonium dirimant.

Levit. 18.

Sententia
vatic de
priori quaestione.
S. Thom.
Scot.

Ruard.

De priori quaestione variae sunt Doctorum sententiae. quidam asserunt ne primum quidem gradum iure naturæ matrimonium dirimere. videtur sentire S. Thom. 2. 2. quaest. 154. art. 9. ad 3. ubi expresse Caiet. citatur Scotus dist. 40. quaest. vnicâ, art. 2. sed potius tenet contrarium. tenent plures antiquiores, quibus accedit Ruardus art. 20. ante §. ex quibus manifestum est, & plures recentiores, quam sententiam censent probabilem Sanchez disput. 62. num. 10. Henriquez lib. 12. cap. 9. num. 4. eique videntur favere Patres, Hieron. quaest. Hebraicis in Genesim, Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, versus finem, docentes Sarai fuisse verè sororem Abraham, seu eum contigisse in primo consanguinitatis gradu.

Hieron.
Clem. Alex.
and.

72.

Durand.

Scot.

Estius.

Victor.

Bellarmin.

Sanchez.

73.

Postrema

haec placet,

& prob. 1.

Genes. 12.

Alia sententia docet primum gradum in lineâ transversâ matrimonium iure naturæ dirimere. in quam propendet Scotus supra, tenet Durand. eadem distinct. quaestione vnicâ artic. 2. Sotus quaest. vnicâ art. 4. conclus. 1. Estius §. 5. Victor. in summâ num. 295. Bellar. de matrimonio cap. 28. & plures alij, quos citat, & sequitur Sanchez disput. citatâ num. 11.

Hæc sententia videtur verior.

Probatur 1. ex Gen. 12. ex quo videtur patere matrimonium fratris cum sorore iure naturæ esse nullum: non enim potuit Abraham suadere Sarai, ut diceret se eius sororem ad hoc, ut non haberetur eius vxor, nisi quia compertum esset inter fratrem, & sororem matrimonium inire non posse, eamque esse communem opinionem, quæ non potuit aliunde procedere, quam quod ex ipso lumine naturæ matrimonium huiusmodi censetur nullum, cum nondum vlla lexpositiva hac de re esset lata.

Confir. ex eo quod Sara dicta esset soror Abra-

ha, Pharaon existimavit non esse vxorem, confirmata habentur cap. 20.

Probatur 2. ex August. lib. 15. de civitate Dei, cap. 16. qui postquam ostendisset matrimonium fratris, & sororis in initio mundi fuisse necessarium ad generis humani propagationem, dicit: quod profecto, quod est antiquius, compellente necessitate, tantò postea factum est damnablem religione prohibente. & infra: fieri ergo debuit, quando potuit, ut existeret copia inde ducerentur uxores quæ non erant iam sorores, & non solum istud ut fieret, nulla necessitas esset, verum si fieret, nefas esset.

Idem docet lib. 22. contra Faustum cap. 35. ex quo loco patet fratrem, & sororem ex altero tantum parente se contingentes iure naturæ non posse inter se coniungi.

Probatur 3. teste eodem Aug. cap. citato de Civitate, gentes, quæ fraterna coniugia permiserunt, fuerunt graviter reprehensæ, meliore scilicet consuetudine talem exhorrescente licentiam, quod etiam reprehendit Theodoretus lib. de legibus sub medium. Huius rei ratio nō ita commode videtur adferri posse; nihilominus non videtur contemnenda ea moralis ratio, quod ex ipso lumine naturæ constet fratrem, & sororem maximam sibi invicem reverentiam debere, cui repugnat nimia familiaritas quæ in actu coniugali cernitur, & turpitudine coniuncta cum irreverentiâ respectu eius, qui carnaliter cognoscitur.

Quod tamen superiori dubio diximus, ex divina dispensatione posse subsistere matrimonium filii cum patre, vel filij cum matre, longè potius iure dicendum ex eadem posse subsistere matrimonium sororis cum fratre.

Obijciunt 1. quod 2. Regum cap. 13. Amnon volenti opprimere Thamar sororem suam, ea dixit: *noli frater mihi, noli me opprimere* &c. qui putavit loquere ad Regem, & non negavit se sibi, ergo existimavit matrimonium posse subsistere inter se, & fratrem, & per consequens tale matrimonium non esse iure naturæ irritum.

Resp. non sequi non esse irritum, sed quod puella, præsertim perturbata ita senserit: quemadmodum enim potuit errare contra ius divinum, quo Levit. 18. huiusmodi commissio prohibetur, ita errare potuit contra ius naturæ, præsertim non ita evidens.

Adde quod non cogamur dicere eam existimasse se matrimonium inter se, & fratrem posse subsistere, quia dici potest ita egisse cum fratre, ut eius vim facilius amoliretur, & tantum nefas à se averteret, quamvis interius non existimavit fieri posse, quod dicebat.

Obijciunt 2. quod Hieron. & Clemens citati existimaverint tale matrimonium esse licitum.

Resp. longè verius esse Sarai non fuisse sororem Abraham, seu in primo gradu ei coniunctam, sed neptem, filiam Aran fratris Abraham, non fuisse sororem tradit August. loco citato contra Faustum docens, id quod Gen. 20. dicit Abraham: *soror mea est*, dictum more scripturæ, in quâ consanguinei etiam in gradibus remotioribus dicuntur fratres, & sorores. quâ ratione Gen. 13. Abraham dixit Loth: *fratres enim sumus*: cum constet ex cap. 11. Loth fuisse nepotem Abraham, filium Aran fratris Abraham. Tobias 8. Tobias iunior vocatur Annam sororem suam, cum tamen ex cap. 6. constet fuisse consanguineos in gradu remotiori, eadem ratione Matth. 12. consanguinei Christi vocantur.

vocantur eius fratres, & hanc interpretationem non plane reiecit Hieron. supra.

Adde quod licet fuissent frater, & soror, non apte deduceretur eorum matrimonium iure naturae fuisse validum, ut videntur sentire Patres citati. commodè enim dici posset eos ex diuinâ dispensatione fuisse coniunctos.

76. Obiectio 3. Obijciunt 3. quod frater, & soror non sint causa, & effectus, neque vnus comparetur cum altero tanquam superior.

Resp. inde bene sequi eos sibi inuicem non debere tantam reuerentiam, quantum proles debet patri vel matri, & impedimentum non esse tam certum, quam inter parentem, & prolem; non tamen sequi matrimonium posse inter illos subsistere.

77. Singularis sententia Palud. pro secunda questione huius dubij. Sententia quorundam aliorum.

Plures alij censent omnes consanguinitatis gradus in Leuit. prohibitos cap. 18. matrimonium dirimere, qui videntur intelligendi de iure naturae, cum constet non dirimere eod quod in lege antiquâ positum sit prohibiti, cum lex Moysaica in nouâ lege non perducat.

Porro matrimonia in his gradibus irritari docent S. Th. in 4. distinct. 39. quaest. vnicâ, art. 3. ad 3. Rich. dist. 40. art. vnico, quaest. 2. Durand. quaest. vnicâ; Palud. dist. 41. quaest. 1. art. 5. conclus. 2. & plures alij.

78. Sed verissima sententia docet non omnes gradus in Leuit. prohibitos matrimonium iure naturae irritare, tenet Scotus distinct. 40. quaest. vnicâ art. 1. Sotus quaest. vnicâ art. 4. conclus. 2. Caiet. 2. 2. quaest. 154. art. 9. ad 3. Ruardus art. 20. ante §. ex quibus manifestum est; Bell. lib. de matrimonio cap. 27. Henriquez lib. 12. cap. 1. num. 2. & cap. 9. nu. 5. Valent. disp. 10. quaest. 5. puncto 3. de cognatione §. in aliis autem gradibus, & passim recentiores.

Prob. 1. ex Trident. Probatur 1. ex eo quod Trident. sess. 24. can. 3. damnet anathemate eos, qui dicunt Ecclesiam non posse dispensare in nonnullis gradibus prohibitis in Leuit. ergo de fide esse posse dispensare, ergo non omnes iure naturae dirimunt matrimonium, cum Ecclesia non possit dispensare in gradu iure naturae matrimonium dirimente.

2. Ex cap. gaudemus, constat matrimonium in secundo gradu initum ab infidelibus non esse dissoluum, cum ad fidem conuertuntur, ergo iure naturae est validum, vbi.

Cap. quod dilectio. Aduerte Innocentium 3. eo capite secundum gradum accipere iuxta regulam cap. quod dilectio & cap. ult. de consanguinitate. ex quibus patet aliquos dici in secundo gradu contrahere, cum saltem vnus duobus gradibus distat à communi stipite, ex quo sequitur iuxta decisionem cap. gaudemus, matrimonium nepotis cum amita, vel matertera, (quod in Leuit. prohibetur) cap. 18. iure naturae subsistere.

3. Ex August. 22. contra Faustum cap. 35. colligi potest quod Abraham accepit in uxorem Saram neptem suam, non ex aliquâ dispensatione diuinâ, sed ex eo quod nulla lege id esset prohibitum, lib. 5. de ciuitate Dei cap. 16. sola connubia inter fratrem, & sororem censet illicita, scilicet in lineâ collateralis, de qua ibi agit, & iure naturae.

quia non vult lege Ecclesiastica non posse plures gradus prohiberi, ergo iuxta August. coniugium nepotis cum amita non est iure naturae irritum.

Confir. matrimonium nepotis cum patruo, vel auunculo non censetur iure naturae irritum; non est autem dicendum, quod eo iure potius irritetur matrimonium nepotis cum amita.

Obijciunt tamen 1. quod praepcepta cap. 18. Leuit. posita non sint caeremonialia, vel iudicialia, sed moralia, & proinde contineant id, quod iure naturae, est vetitum.

Probatur, non praescribunt ritus in Dei cultu seruandos, ergo non sunt caeremonialia, non etiam instruunt iudicem ad pacem in populo Iudaico conciliandam, ergo non sunt iudicialia.

Resp. neg. assumptum quoad aliquos gradus; aliqua enim praepcepta sunt iudicialia, quae ad pacem stabiliendam tendebant, ut scilicet per coniunctionem matrimonialem cum ijs, qui non ita erant propinqui, pax in eo populo magis conciliaretur.

Contra facit, quod Deus cap. citato dicat: nec polluiamini in omnibus his, quibus contaminati sunt omnes gentes, &c. & quibus polluta est terra, cuius scelera visitabo ut euomat habitatores suos, & paulo post vocantur execrationes. 3. paulo post dicitur: omnis anima quae fecerit de abominationibus his quidpiam, peribit de medio populi.

Resp. non ita vocari, quod singula ex rei naturâ essent abominationes, & secundum se grauiter repugnantia rectae rationi, sed quod gentes ex effrenata libidine absque vllâ verecundiâ, & omni pudore deposito inter se commiscerentur, quod sine dubio est abominabile. Deus ergo volens filios Israel ab hac intemperantiâ reuocare, non solum prohibuit ea, quae manifestam continent abominationem, sed etiam ea, quae intra limites naturae minorem praeseferebant decentiam, qualis est commixtio nepotis cum amita, quae tamen, sepositâ posituâ prohibitione, non continet peccatum saltem graue.

Obijciunt 2. cap. de infidelibus, de consanguinitate Pontifex deceat matrimonium ab infidelibus initum iuxta legis veteris instituta non esse dissoluum post eorum baptismum.

Resp. Pontificem ibi solum respondere ad quaestionem sibi propositam, nihil in alterutram partem determinando de alijs gradibus.

Obijciunt 3. cap. litteras, de restitutione spoliatorum, Pontifex videtur indicare illos gradus etiam in nouâ lege prohiberi, nec posse Pontificem in ijs dispensare.

Resp. negatiue: solum enim vult non facile debere, vel solere dispensare, eod quod maiorem indecentiam contineat commixtio in his gradibus, quam in alijs, ut iam dictum est, et ex praxi Ecclesiae satis patet per illud, non posse, non debere intelligi defectum potestatis ad dispensandum, cum Pontifex interdum reipsâ dispense in quibusdam gradibus prohibitis in Leuit. intelligitur ergo, quod spectato vsu Ecclesiastico non nisi difficulter fieri solet; nam communi vsu loquendi bene dicimur non posse aliquid facere, quod non nisi valde difficulter facimus, vel solemus facere.

Ex dictis facile patet falsitas sententiae Palud. cum Abraham duxerit in uxorem Saram filiam fratris sui Aran, similiter & Nachor duxerit Melcham alteram eiusdem Aran filiam, idque absque vllâ specie dispensationis.

Patet 2. matrimonia ethnicorum contracta in secundo gradu etiam inaequali, iure naturae esse valida, & nisi lex vel consuetudo illorum ea irritet, non esse dissoluenda cum coniuges ad fidem conuertuntur.

Patet 3. Pontificem posse dispensare in omnibus gradibus collateralibus consanguinitatis praeter primum; immò probabili variorum sententiâ etiam in primo, cum sit probabile, quod etiam primus gradus collateralis matrimonium iure naturae non dirimat.

Adde etiam aliquorum sententiâ (quae non videtur omnino improbabilis) posse dispensare in omni gradu linear recta praeter primum.

D V B I V M X.

Quotus consanguinitatis gradus iure Ecclesiastico matrimonium dirimat?

84.

HERETICI nostri temporis, ut videre est apud Bell. lib. de matrimonio cap. 25. variè insurgunt contra prohibitionem Ecclesiasticam, verum suppositâ potestate leges condendi, quam competere Ecclesiae alibi fusiùs contra haereticos probari solet, supposito etiam, quod contractus matrimonialis varijs modis per humanam potestatem reddi possit inualidus, ut ostendimus dub. 1. huius quaestionis, non est quod negetur Ecclesiae potestas quosdam consanguinitatis gradus constituendi, intra quos matrimonia non possint validè iniri, quod est definitum in Trid. sess. 24. can. 4. quod & prudenter fecit, cum huiusmodi prohibitio faciat ad dilatandam amicitiam in genere humano, dum homines matrimonia ineunt, & coniunguntur his, qui nullo naturalis necessitudinis vinculo sibi sunt copulati.

Adde actum coniugalem valde detrudere reuerentiam, quam consanguinei sibi inuicem debent.

Propter has, & similes causas Ecclesia irritauit matrimonia inter consanguineos usque ad certum gradum, & quidem olim irritabantur usque ad septimum secundum computationem Ecclesiasticam, ut patet ex can. nullum, 35. quaest. 3. qui est Iulij Pontificis, can. de consanguinitate, qui est Nicolai secundi, can. nulli, ex Concil. Lugdunensi, eadem quaestione: postmodum tamen Innocentius 3. in Conc. Lateranensi hanc prohibitionem restrinxit ad quartum gradum, intra quem matrimonium non potest validè contrahi: in vltioribus verò potest: quia, ut ait Pontifex, prohibitio in vltioribus gradibus non poterat absque graui dispendio generaliter obseruari.

Adde quod in vltioribus gradibus consanguinitatis vix perduret amicitia. Gradus verò intelligitur iuxta canonicam supputationem. Item constitutio intelligitur, quamuis consanguinei solum ex parte vnius parentis se contingant, ut si descendant ex fratribus solum vterinis &c.

Ex his deducitur, quod si duo ita communem stipitem respiciant, ut vnus in secundo gradu, alter in quinto eum contingat, ij inter se matrimonium validè inire possint, cum iuxta regulam cap. vltimi de consanguinitate, solum sint consanguinei in quinto gradu.

Trident.

Olim irritabantur matrimonia usque ad septimum gradum.
Can. Nulli.
Can. de consanguinitate.
Can. nulli.
Conc. Lateranense.
ad quartum gradum restituitur.

85.

Coroll.

D V B I V M XI.

Quid sit affinitas, & vtrum aliqua iure natura matrimonium dirimat?

QUOD prius Resp. affinitatem esse propinquitatem personarum ex copula ortam, vel iuxta varios, ex iure ad copulam per matrimonium ratum. Cum enim duo se mutuo carnaliter cognoscunt, fiunt vna caro, & consanguinei vnus trahuntur ad fines alterius, seu fiunt ei affines, ut frater eius, qui Mariam carnaliter cognouit, est eidem Mariae affinis, similiter frater Mariae est affinis ei, qui illam cognouit. Dicitur ex copula, sub qua comprehenditur etiam illicita: nam ex fornicatione, adulterio, oritur etiam affinitas inter eum, qui aliam fornicariè cognouit, & consanguineos cognita, & inter cognitam, & consanguineos eius, qui cognouit.

Porro copula debet esse apta ad generationem, vnde ex commixtione duorum in vase non naturali non oritur affinitas, similiter non oritur, si vir non seminet, cum semen saltem virile requiratur, ut copula sit, & censetur apta ad generationem.

Confir. alioquin personae non censentur fieri vna caro: immò non est improbabile requiri emissionem seminis, de quo quaest. 5. dub. 9. & hoc diligenter notandum pro ijs, quae in sequentibus dicuntur: si quis enim contraxerit sponsalia cum aliqua, cuius sororem postmodum contra naturam cognoscat, non impeditur, quod minus validè cum sponsa matrimonium contrahat, similiter non impeditur, si vas naturale penetraverit, quidem, non tamen in eo seminauerit: immò non improbabili sententiâ, si mulier non seminauerit, ex quibus sit verisimile, quod is, qui ita cognouit consanguineam vxoris suae, ut non seminauerit intra vas eius naturale, vel etiam ea non seminauerit, non prohibeatur debitum coniugale ab vxore petere.

Dixi, vel iuxta varios, ex iure ad copulam per matrimonium ratum. nam dubitant Doctores, vtrum oriatur affinitas, si matrimonium nondum sit consummatum, quibusdam negantibus, affirmantibus alijs, quorum sententiâ magis placet, quamuis enim vir, & femina ante consummationem matrimonij non sint vna caro per commixtionem sanguinis: possunt tamen dici vna caro, eo quod vnus habeat dominium corporis alterius in ordine ad generationem. praeterea etiam ante consummationem matrimonij consanguinei vnus coniugis vocant alterum affinem. 3. ratione contractus matrimonialis legitimi apud gentes oritur quaedam necessitudo inter consanguineos vnus coniugis & alterum coniugem, ut etiam docet Sánchez disp. 63. num. 6. & plures alij, quae necessitudo non potest esse publicae honestatis, cum ea sit introducta lege Ecclesiastica. 4. Doctores, qui censent iure naturae priuignum non posse recipere noueram in vxorem, loquuntur in genere, & intelligunt etiam de ea, quae non fuit cognita, & in eo sensu quaestio agitur à Doctoribus, ergo vtrique supponunt inter priuignum, & noueram nondum cognitam oriri quandam propinquitatem iure naturae; non est autem publicae honestatis, cum, ut dictum est, illa introducta sit lege Ecclesiastica, nec potest esse alia, quam affinitatis. Neque eorum habetur.

86.

Affinitas quid sit.

87.

Coroll.

Proh.

Proh.

88.

Dubit.

Affinitas reuelanda.

Proh.

Obi.

Can. si quis uxorem. & can. si quis desponsauerit. 27. quat. 2. vt legenti patere potest.

Notandum in affinitate eo modo lineas, & gradus constitui, quo constituuntur in consanguinitate, & consanguineos vnus, verbi gratia vxoris, vel eius, quæ fornicariæ est cognita, in eo gradu viro esse affines, in quo sunt consanguinei vxori, vnde qui illi sunt consanguinei in primo gradu lineæ rectæ, v. g. pater & mater, in eodem sunt viro affines; auus verò, qui in secundo gradu eiusdem lineæ est consanguineus, eo gradu est affinis viro.

Idem iudicium est de descendantibus: priuignus enim est affinis in primo gradu vitrico, similiter in lineâ transversâ frater vel soror vxoris sunt affines viro in primo gradu collateralis, & ita de aliis.

De secundâ questionis parte variæ sunt sententiæ.

Aliqui asserunt etiam in primo gradu lineæ transversæ matrimonium iure naturæ dirimi inter affines, v. g. iure naturæ in primo gradu inualide matrimonium contrahi à viro, & muliere, quæ antea illius fratri nupsit. ita Palud. dist. 41. quest. 1. art. 5. conclus. 2.

Verum certum est talem gradum non dicere matrimonium iure naturæ.

1. In antiquo testamento Iacob accepit duas sorores in vxores Gen. 29. Thamar nupsit Iudæ Patriarchæ matrimonio iuncta est duobus eius filiis Gen. 38. quæ tamen non reprehenduntur à scripturâ, nec indicatur id diuinâ dispensatione factum.

2. Leuit. 18. dicitur: *fororem vxoris tuæ in pelliculum non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, ad huc illâ veniente*, quibus postremis verbis indicatur non fuisse illicitum in antiquo testamento accipere in vxorem sororem coniugis defunctæ.

3. Cap. ult. de diuorciis Innocentius 1. permittit, vt quæ in infidelitate contraxerunt cum fratre mariti defuncti, in eo matrimonio permaneant, ergo tale matrimonium iure naturæ subsistit, alioquin necessariò essent separandi, cum Pontifex nequeat dispensare in impedimento iuris naturæ.

Contrâ, Pontifex cap. citato dicit: *ne tales filii de cætero postquam ad fidem venerint, copulent, prohibentes*.

Resp. Pontificem nolle eum, qui in infidelitate vxorem duxit, non posse illius sororem eâ mortuâ ducere: sed quòd non possit vtramque successiue accipere iam baptizatus, propter impedimentum Ecclesiasticum.

4. Pontifices aliquoties dispensarunt, vt affines in eo gradu matrimonium inter se contraherent.

Alexander 6. dispensauit cum Emanuele Rege Lusitanæ, vt acciperet in vxorem sororem vxoris defunctæ, Iulius 2. dispensauit cum Catharina viduâ Regis Angliæ, vt copularetur fratri mariti defuncti, amplexibus pene orbis Christiani academicis, tale matrimonium approbantibus, videri potest Nauarr. cap. 12. num. 84. Clemens 8. dispensauit cum Rege Poloniæ, vt acciperet in vxorem sororem vxoris suæ defunctæ.

Denique licet inter huiusmodi personas sit facta arcta necessitudo, quæ reddat matrimonium aliquo modo indecens, nisi subsistat causa: non tamen est tanta, vt illud irritet.

Dices 1. Matth. 14. Ioannes Baptista dicebat Herodi: *non licet tibi habere eam*, scilicet He-

rodiadem, vxorem fratris sui, cum tamen Herodes gentilis legibus Iudaicis non adstringeretur, & proinde eius matrimonium debuerit esse irritum iure naturæ.

Resp. fuisse verè irritum iure naturæ, quia acciperat eam in vxorem fratris suo viuo, vt plures in illum locum obseruant. vide Hieron. vel si dicamus cum quibusdam fratrem Herodis mortuum fuisse, dicendum nihilominus non licuisse ei vxorem fratris sui accipere in vxorem, cum Herodes profiteretur legem Iudaicam, quæ prohibebat fratrem matrimonio copulari vxori fratris defuncti, vt patet Leuit. 18. quando scilicet frater reliquerat semen, vt hic contigit.

Dices 2. cap. citato Leuit. dicitur: *turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis*.

Resp. hanc legem in nouo testamento non obligare. Adde intelligi, quando maritus defunctus reliquerat semen, nam ex cap. 25. Deuter. constat licuisse vxori coniungi fratri viri sui, qui semen non reliquerat.

Dices, saltem quo casu proles relicta est ex priori matrimonio, vxor videtur iure naturæ prohiberi, ne fratrem defuncti in maritum accipiat, vt patet ex cap. ult. citato, vbi Pontifex concedens, vt ij, qui cum relicta fratris sui matrimonio inierant, cum eâ remaneant, addit, fratribus decedentibus sine prole.

Resp. Pontificem non velle eo solo casu remanere, sed vel maxime posse eo casu.

Ex his patet nullum affinitatis gradum in lineâ transversâ matrimonium dirimere iure naturæ.

Dissensio verò est inter authores, num aliquis gradus dirimat in lineâ rectâ.

Quæstio verò potissimum de primo intelligitur: nam parum probabilitatis habet, quòd dicunt aliqui, etiam in affinitate iure naturæ impedimentum dirimens in infinitum oriri in lineâ rectâ, quæ sententiæ reiectâ.

Duplex est de primo gradu.

Prior asserit eum gradum iure naturæ matrimonium dirimere, tenet Palud. suprà. Sotus dist. 41. quaest. vnicâ, art. 3. Bell. lib. de matrim. onio cap. 28. & plures alij.

Posterior censet hanc affinitatem non dirimere matrimonium iure naturæ, tenet Caiet. 2. 2. quaest. 154. art. 9. ad 3. Ruardus art. 20. ante §. ex quibus manifestum est, Nau. loco citato, Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 66. num. 7. & plures alij.

Quæ sententia videtur probabilior, licet enim parens per matrimonium præsertim consummatum efficiatur vna caro cum nouerâ alicuius, nihilominus priuignus nec ab eâ accepit esse, nec ita illi coniungitur, vt coniungitur consanguineus in primo gradu collateralis, vnde licet priuignus magnam reuerentiam noueræ debeat, non tamen tantam, quæ iure naturali videatur obitare coniunctioni matrimoniali: sed solum quæ causet aliqualem indecentiam in tali coniunctione, si desint causæ.

Ex quo sequitur 1. si quis in infidelitate fuisse copulatus matrimonio suæ noueræ patre defuncto, validum fuisse matrimonium, nec esse dissoluedum cum ad fidem conuerterentur.

Sequitur 2. idem longè potiori iure dicendum si quis duceret in vxorem eam, quam parens fornicariè cognouit.

Confir. ex eo quòd Pius 5. concesserit Henrico Cardinali Lusitanæ facultatem dispensandi in affinitate

Resp.

94.

Obiectio 2.

Resp.

Replica.

Resp.

95.

Dissensio inter DD.

Prior sent.

Palud.

Sot.

Bellarmin.

Posterior.

Caiet.

Ruard.

Nauarr.

Sanchez.

96.

Posterior

placet, &

prob.

97.

Coroll.

98.

99.

Obiectio 1.

affinitate cuiuscumque gradus orta ex occulta fornicatione, ut refert Rebellius 2. parte de obligationibus iustitiae lib. 3. quaest. 15. conclus. 2.

Resp.

Obijciunt 1. quod commixtio alicuius cum nouerca, vel nuru, Leuit. 20. ponatur cum grauissimis sceleribus, & iubeatur morte puniri.

Resp. inde solum sequi eam in lege Mosaiica fuisse illicitam, quod concedimus, & patet ex cap. citato, & ex 18.

100.

Obiectio 2.

ex 1. Cor. 5.

Obijciunt 2. Apostolus 1. ad Corinth. 5. dicit: auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.

Resp.

Resp. nihil inde concludi: verius enim est incestuosum illum Corinthium nouercam carnaliter cognouisse viuo patre, ex eo quod Apostolus dicat eum commisisse talem fornicationem, qualis nec inter gentes auditur, certum autem sit ex historiis apud quasdam gentes vitata cum nouercis coniugia patre mortuo videri potest Theodoretus lib. de legibus versus finem.

Theodor.

Adde Apostolum 2. ad Corinth. 7. indicare illum incestuosum fuisse in patrem iniuriam, eius uxorem cognoscendo, his verbis: igitur etsi scripsi uobis non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam sollicitudinem uestram, &c. proprie autem non irrogasset iniuriam patri suo, si illius demortui uxorem cognouisset, cum per mortem vinculum matrimoniale fuisset solutum, & proinde nulla subsuisset causa iniuriae.

Obiectio 3.

Obijciunt 3. quod vitricus sit quasi pater, eique magna debeatur reuerentia.

Resp.

Respondet id quidem ostendere matrimonium inter vitricum, & priuignam etiam intra limites legis naturae esse minus honestum, nisi debitis circumstantiis cohonestetur, quod fatemur: non tamen sufficienter ostendere eo ipso esse irritum.

102.

Obiectio 4.

Obijciunt 4. quod Pontifices nunquam soleant in huiusmodi gradu dispensare.

Resp.

Resp. non oriri ex eo quod non possint, sed quod minime debeat, cum raro detur causa dispensandi in gradu ita accedente ad gradus certissime iure naturae irritantes.

D V B I V M XII.

Vsq. ad quorum gradum affinitas iure Ecclesiastico matrimonium dirimat?

103.

Conclus. 1.

Resp. & dico 1. affinitas orta ex matrimonio iure Ecclesiastico dirimit matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum inclusiue. patet ex cap. non debet, de consanguinitate, per quod cap. restricti sunt antiqui canones, quibus etiam affinitas matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum, ut patet can. de affinitate, can. nullum, 35. quaest. 3. ubi etiam

Can. non debet.

Can. de affinitate.

Can. nullum.

Notandum 1. iure antiquo affinitatem peperisse aliam affinitatem: non enim solum vxor erat affinis consanguineis viri, sed etiam eiusdem vxoris consanguineis, verbi gratia, frater vxoris erat affinis forori mariti, item maritus, quem illa

vxor priori defuncto accipiebat, immo & affines eiusdem vxoris fiebant affines viro, omnia affinitatis genera, quae ex affinitate oriebantur, sunt sublata per cap. non debet, citatum. hinc licet olim duo fratres non possent duas sorores accipere in vxores, iam tamen possunt, similiter pater & filius possunt copulari matrimonio matri, & filiae, & ita de aliis.

Notandum 2. affinitatem ex copula illicita iure antiquo se extendisse etiam usque ad quartum gradum, quod & supponit Trident. iam citandum, & passim tradunt Doctores, quia constat ex tali copula ortam affinitatem saltem iure Ecclesiastico can. si homo, 35. quaest. 3. cap. discretionem, de eo, qui cognouit consanguineam vxoris suae. constat etiam per talem affinitatem ortum impedimentum matrimonium dirimens, quod nullo iure restringebatur, & proinde usque late patebat, atque impedimentum affinitatis ortum ex matrimonio, vel copula licita, Trident. tamen sess. 24. cap. 4. de reformatione matrimonij hoc impedimentum restringit ad secundum gradum, unde

Dico 2. ubi Trident. receptum est, affinitas orta ex copula illicita non dirimit matrimonium ultra secundum gradum. patet ex loco citato. hinc si quis aliquam carnaliter cognouerit extra matrimonium, potest matrimonium valide contrahere cum eiusdem cognata in 3. gradu, item cum eius nepte in tertio gradu, siue sit neptis in linea recta, siue in collateralis: immo etiam licite, quia haec affinitas nullum adfert impedimentum etiam impediens, ut declarauit Pius 5. constitutione ad Romanum anno 1566. refertur in 7. decretalium titulo de consanguinitate cap. 4.

Dixi, ubi Trident. est receptum, quia alibi iuxta antiquos canones matrimonium dirimitur etiam in hoc casu in quarto gradu.

In fine huius dubij aduerte eos, qui scienter contrahunt matrimonium cum affinis, eo ipso incurrere excommunicationem Clem. vnicā de consanguinitate.

D V B I V M XIII.

De impedimento cognationis legalis.

NOTANDUM 1. legalem cognationem esse propinquitatem quarundam personarum ex adoptione prouenientem.

Est autem adoptio personae extraneae in filium, vel filiam &c. legitima assumptio. ea duplex est, perfecta, & imperfecta.

Perfecta est, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, tanquam patris &c. sique principis autoritate, & vocatur arrogatio.

Imperfecta quae nomen adoptionis retinet, non transfert adoptatum in potestatem adoptantis, potestque fieri autoritate magistratus, & haec breuiter ad nostrum institutum adnotasse sufficiat.

Notandum 2. cognationem hanc, quae lege humanā inducitur, oriri inter adoptantem ex vna parte & adoptatum, eiusque posteros usque ad quartum gradum ex altera. 1. oriri inter adoptantem, & uxorem adoptati, similiter inter adoptatum, & uxorem adoptantis. 3. inter adoptatum & filios, vel filias naturales adoptantis. ex quibus

patet in hac cognatione suo modo inueniri lineam rectam & transversam, & aliquam inueniri similitudinem cum consanguinitate, & affinitate. his prenotatis

109. *Conclus. 1.* Dico 1. adoptatus eiusque posterius usque ad quartum gradum non possunt matrimonium ini- re cum adoptante, & si attentetur, est inualidum. unde inualidum est matrimonium, quod filia ado- ptati conatur ini- re cum patre adoptiuo patris sui. vbi

Notandum 1. hoc impedimentum a Doctori- bus dici perpetuum, quia non perit etiam soluta adoptione, vel emancipato filio adoptiuo.

Notandum 2. communiori Doctorum sen- tentia hoc impedimentum inter adoptantem, & adoptatum, eiusque posterius usque ad quar- tum gradum oriri ex utraque adoptione, quam- uis aliqui censent solum oriri ex perfecta, per quam scilicet adoptatus transfertur in potestatem adoptantis.

110. *Conclus. 2.* Dico 2. non potest similiter valide matrimo- nium ini- re inter adoptatum, & uxorem adoptan- tis, item inter adoptantem, & uxorem adoptati. estque similiter hoc impedimentum perpetuum.

111. *Conclus. 3.* Dico 3. adoptatus non potest valide matrimo- nium ini- re cum filia naturali adoptantis, quamdiu uterque est sub patria potestate. quod additur, quia si alteruter non sit sub patria potestate, nec dirimitur, nec impeditur matrimonium inter il- los, ut patet canone *per adoptionem*, 30. quaest. 3. & cap. vnico de adoptione.

Dico, filia, quia hoc impedimentum inter col- laterales non egreditur primum gradum, unde adoptatus potest ducere in uxorem neptem ado- ptantis, scilicet filiam filiar, similiter filia adoptan- tis potest nubere filio adoptiuo.

Dico, etiam, naturalis, quia duo adoptiuo inter se nullum contrahunt impedimentum, quamuis uter- que sit sub potestate adoptantis, quod satis col- ligitur can. *per adoptionem*, citato.

112. *Corollaria.* Ex dictis patet 1. impedimentum tertiae con- clusionis solum oriri ex adoptione perfecta, per quam adoptatus constituitur sub patria pote-estate.

Patet 2. non oriri inter adoptatum, & prolem illegitimam adoptantis, quia haec non est sub pa- tria potestate.

Atque haec impedimenta legalis cognationis consuetudine Ecclesiae recepta sunt.

D V B I V M X I V.

De impedimento publicae honestatis?

113. *S* I C V T ex matrimonio oritur affinitas diri- mens matrimonium inter certas personas, ita ex sponsalibus oritur impedimentum, quod vo- catur iustitia publicae honestatis (quamuis inter- dum publica honestas in canonibus latius sumi videatur ut etiam comprehendat affinitatem) vel impedimentum publicae honestatis, idque iure Ecclesiastico dirimit matrimonium contrahen- dum.

114. Iure antiquo matrimonium dirimebat usque ad quartum gradum inter vnum sponsum de fu- turo, & consanguineos alterius. unde sponsus de futuro secundum ius antiquum non potest valide contrahere cum cognata sua sponsae in quarto gradu, nec cum nepte ex ea descendente usque ad quartum gradum, quae licet non ita videantur cla-

re haberi ex vilo iure, ut patet ex cap. *sponsam*, de Cap. *spon- salsibus*, & cap. vnico, eodem titulo, in 6. in quorum priore dicitur: *sponsam alterius nullus con- sanguineorum aliquo modo sibi potest matrimonio copula- re*, vbi solum in genere fit mentio consanguineo- rum, sicut & in posteriore. quamuis, inquam, in iure solum dicatur in genere, *consanguineorum*, communiter tamen Doctores censent intelligi usque ad quartum gradum, quorum explicatio ipso vsu Ecclesiae videtur fuisse approbata.

115. Notandum 1. hoc impedimentum secundum ius antiquum oriri etiam ex sponsalibus quomo- documque inualidis, modo non sint inualida ex defectu consensus. ita expresse docernitur cap. vnico citato.

Vnde si quis inualide sponsalia contraxerit cum aliqua eo quod illud contingat in quarto con- sanguinitatis vel affinitatis gradu, contrahit hoc impedimentum publicae honestatis cum omni- bus consanguineis sponsi usque ad quartum gra- dum, & ita de quolibet alio capite, praeterquam de defectu consensus, qui excipitur cap. vnico ci- tato: si tamen contrahantur ante septennium, nul- lum pariunt impedimentum publicae honestatis, ut insinuat cap. *litteras*, de desponsatione impu- berum, & clare patet cap. vnico §. 3. eodem ti- tulo, in 6.

116. *Quaestio.* Queri potest, num si sponsalia metu graui- neantur, contrahatur hoc impedimentum? iuxta sententiam, quam secuti sumus quaest. 3. dub. 10. in fine, res non habet difficultatem, cum existima- uerimus haec sponsalia esse valida: dubitari tamen potest iuxta probabilem sententiam quorundam, qui censent haec sponsalia esse irrita & nulla, se- cundum quam sententiam

117. *Resp.* probabiliter hoc impedimentum non oriri, quia dici potest deesse consensus, quando ta- lis est, qui etiam si ceterae conditiones requisitae adessent non sufficeret ad valorem sponsalium.

Aduerte autem haec sponsalia inualida parere impedimentum publicae honestatis ad dirimen- dum sequentia sponsalia, non vero ad dissoluen- dum praecedentia. unde si quis contraxisset legiti- me sponsalia cum Maria, & postmodum contra- heret sponsalia cum illius sorore, non impeditur matrimonium contrahere cum Marias sed vi prio- rum sponsalium remanet obligatus ad contrahen- dum cum illa, ut patet cap. vnico citato.

118. Notandum 2. ut hoc impedimentum etiam iux- ta ius antiquum oriatur, requiri ut sint pura spon- salia, ut cap. vnico citato, in cuius paragrapho po- steriori decernitur ex sponsalibus conditionatis non oriri hoc impedimentum ante euentum con- ditionis, & proinde si quis ante euentum condi- tionis contrahat matrimonium per verba de praesenti cum consanguinea sponsae, v. g. cum eius so- rore, matrimonium ex hoc capite non redditur ir- ritum.

119. *Coroll. 1.* Ex dictis sequitur 1. si quis contrahentem spon- salia cum aliqua posse valide matrimonio copula- ri cum eius consanguinea: quia propter defectum consensus per talia sponsalia non contrahit hoc impedimentum. idem dicendum si interueniat er- ror personae, quia talis error tollit consensum in personam.

120. *Coroll. 2.* Sequitur 2. non oriri impedimentum hoc, si quis puellae matrimonium promiserit, quae sese vicissim non obligarit: quia haec promissio non sufficit ad sponsalia, sed ad ea requiritur promissio reciproca.

Sequi-

Coroll. 3.

Sequitur 3. hoc impedimentum non oriri eo quod aliquis cœtui puellarum dicat: promitto me vnam ex vobis in vxorem accepturum, & illæ vicissim promittant; quia huiusmodi promissio etiam reciproca non est contractus sponsalium, cum hic requiratur, vt sit vnus determinati cum vnâ determinatâ.

119.

Difficultas.

Difficultas est, an hoc impedimentum oriatur ex contractu matrimoniali à parte rei inualido ex alio capite, quàm ex defectu consensus. Varij asserunt, quos citat & sequitur Sanchez disp. 70. num. 5.

Sanchez.

Resp.

Resp. non videri oriri: quia talis contractus non est verè sponsalitijs, ergo in eo non inducitur impedimentum sponsalitijs contractus, cum ergo nihil iure disponatur de tali contractus, non est quod dicamus ex eo oriri impedimentum publicæ honestatis. excipe tamen contractum matrimoniale impuberum qui iuris dispositione fortitur rationem sponsalium sensu suprâ explicato, & parit omnes effectus sponsalitijs contractus.

120.

Circa hoc Trid. quædam innouat.

Et hæc dicta sunt secundum ius antiquum, quæ etiam nunc seruari debent iis locis, in quibus Trident. non est receptum. illud verò cap. 3. de reformatione matrimonij aliqua circa hanc rem innouat. 1. restringit hoc impedimentum ad primum gradum. 2. vult illud solum locum habere, quando sponsalia sunt valida. itaque vbi Trident. receptum est, qui valide sponsalia cum aliquâ contraxit, potest valide matrimonium inire cum eius nepte, cognatâ germanâ, auiâ; solum enim dirimitur matrimonium cum sorore, filiâ, vel matre sponsæ. 3. si verò sponsalia fuerint inualida ex quocumque cap. id contingat, non prohibetur quod minus valide matrimonium contrahat cum illius matre, filiâ, vel sorore.

121.

Petitio 1.

Petitio 1. an saltem prohibeatur, quod minus licitè contrahat.

Resp. neg.

Resp. negatiue: quia sublato impedimento dirimente absolute tollitur prohibitio, cum non sit duplex lex, quarum vna matrimonium solum prohibeat, altera dirimat, sed est vnica, quæ dirimendo prohibet iniri matrimonium, & proinde tota tollitur quoad inferiores gradus, dum matrimonium quoad eos non impeditur.

122.

Petitio 2.

Petitio 2. an hoc impedimentum oriatur: si sponsalia valida mutuo contrahentium consensu dissoluantur?

Resp.

Resp. non oriri vbi Trid. receptum est, ita respondit Congregatio, quæ censuit esse inualida, quod videtur intelligendum ad hunc effectum, vt ex iis hoc impedimentum non oriatur, & ita existimo peculiarem esse dispositionem pro eo modo dissolutionis sponsalium. si enim dissoluantur morte vnus partis ante matrimonium contractum, vel iudicis sententiâ, nihilominus pariunt hoc impedimentum, cum subsequens dissolutio non obstat, quod minus fuerint valida.

123.

Petitio 3.

Petitio 3. an ex matrimonio clandestino, oriatur hoc impedimentum, vbi Trid. receptum est? Rebell. 2. parte de obligationibus post lib. 4. sect. nu. 102. ponit Congregationis declarationem in hæc verba: præsuppositâ declaratione per constitutionem S. D. N. Pij 5. super hoc decreto censuit Congregatio oriri hoc impedimentum iussit, & publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsentem etiam nulliter contractis, omnia forma decreti Concil. Trid. cap. 1. huius sess.

Resp.

Resp. non videri oriri, & dico hanc declarationem non videri ita certam, quàm etiam plures alij collectores non habent. certè si tale matrimo-

nium ne quidem vim sponsalium de futuro fortatur, non potest ex hoc capite impedimentum oriri. non oritur etiam iure antiquo ex matrimonio inualido, cum nullo canone vel etiam consuetudine, de quâ constat, hoc impedimentum oriatur ex matrimonio irritato, nec etiam oritur iure Trident. quia nullibi in Trid. extat huiusmodi constitutio.

Dices, Pius 5. videtur declarasse hoc impedimentum oriri ex matrimonio inualido, vt patet ex constitutione ad Romanum, editâ anno 1568. quæ refertur titulo 1. lib. 4. septimi decretalium cap. 2.

Resp. neg. solum enim in genere statuit & declarat dispositionem cap. 3. citati Concil. Trid. non intelligi de matrimonio nondum consummato, sed solum de sponsalibus de futuro: impedimentum verò ex matrimonio rato oriri iuxta dispositionem antiquorum canonum.

Ex dictis patet hoc impedimentum publicæ honestatis non contrahi ab infidelibus. vnde si quis sponsalia in infidelitate cum aliquâ contraxisset, eaquæ obisset ante matrimonium consummatum, conuersus posset eius foretorem in vxorem accipere.

D V B I V M XV.

De impedimento criminis homicidij, & adulterij.

D V o sunt crimina, propter quæ secundum ius antiquum matrimonium contrahendum certis casibus dirimitur, quibus nouo iure Trident. accedit tertium, de quo dubio sequenti.

Primum est homicidium. Illud dirimit matrimonium, quando coniux conuenit cum tercio, vt eam partem occidat, vt postmodum matrimonium inter se contrahant, vt verbi gratia si Catharina vxor Petri conueniat cum Ioanne vt Petrum maritum suum occidat, vt postmodum matrimonium inter se contrahant, si reipsâ occidant vel saltem vnus altero instigante, non possunt valide matrimonium contrahere. ita decretatur cap. laudabilem, de conuersione infidelium.

Quod si vnus sine conspiratione alterius occiderit siue propriam partem, siue alterius, possunt superstitēs matrimonio valide copulari.

De occidente alterius partem expressè habetur cap. citato, de occidente propriam sine conspiratione patet, ex eo quod canon requirat, vt saltem vnus occidat ex machinatione alterius.

Ex quo deducitur 1. non oriri hoc impedimentum, quamuis pars, quæ superest, factum alterius ratum habeat. vt si Catharina ratum habeat factum Ioannis se inficiâ perpetratum: quia ad machinationem, & infidias (quæ requirit canon) requiritur præuia quardam conspiratio, & concursus saltem moralis, per quæ saltem moraliter mors alicui tribuatur; per solam autem ratificationem, aliquis non censetur influere in opus preteritum, neque ex eo solo capite aliquis potest dici causa mortis alterius. immò cenleo id verum esse, quamuis coniux sit conscius prauæ voluntatis alterius, vel è contra: quia ratione scientiæ, quâ nouit aliquis Ioannem machinari mortem Petri, Ioannes non potest dici ex conspiratione, & machinatione alterius Petrum occidisse, neque ratio-

ratione solius scientiae hic potest dici machinatus, seu factum ex eius machinatione, cum ratione solius scientiae nemo possit dici praebere moralem influxum in aliquod factum.

127. *Coroll. 2.* Deducitur 2. hoc impedimentum non oriri, si tertius aliquis suadeat occisori. unde neque hic, neque occisor prohibebitur, quod minus valide possit contrahere cum superstitite. non consulator, quia cap. solum agit de occisore, quo nomine in canonibus non intelligitur mandans, consulens, &c. sed is, qui per se physice occidit; non occisor, quia ex supposito non occidit ex machinatione uxoris occisi. Quod si illa machinaretur, & vteretur altero consulatore tanquam suo instrumento, idque innotesceret occisori, occisor non posset valide cum illa contrahere.

Coroll. 3. Deducitur 3. non sufficere voluntatem, & conatum occidendi, sed requiri realem occisionem.

Coroll. 4. Deducitur 4. quod sit verisimile non sufficere occisionem ex quavis intentione factam, & etiam communi conspiratione: sed requiri, ut fiat ex intentione matrimonij ineundi. nam cap. de tali machinatione videtur intelligendum, cum ea, de quibus ibi agitur, ita videantur machinatae mortem maritorum suorum, unde si maritus alienius occidatur a tertio, etiam ex consilio, & machinatione uxoris, quia est nimis saevus vxori, quia alienis vxoribus commiscetur, occisor non propterea impeditur, quod minus valide matrimonium cum vxore defuncti possit contrahere. & quamvis in foro exteriori praesumatur factum ex machinatione, & intentione futuri matrimonij, nisi vehementissima coniectura contrarium persuadeat: tamen in foro conscientiae matrimonium subsistet, si ex alia intentione homicidium sit perpetratum. ratio esse potest, quod videatur congruum illud solum homicidium dirimere matrimonium, quod propter matrimonium attentatur, ut scilicet nemo audeat illud attentare, per quod videt se suo sine frustrandum. & hanc intentionem requirunt plures auctores contra Caietan. verbo *matrimonium* numero 13.

129. *Coroll. 5.* Deducitur 5. hoc impedimentum, licet solo iure Ecclesiastico inductum, contrahi, si vel altera pars sit Christiana, seu baptizata, quia cap. agit de Saracenis, qui dum essent in captivitate viros Christianarum ex earum infidiis, & machinationibus occiderunt, & deciditur, quod conversi ad fidem non possint cum vxoribus superstitibus matrimonium valide inire.

130. Nec obstat, quod infideles legibus Ecclesiasticis non subiant. quia subest fidelis, cuius matrimonium potest ab Ecclesia irritari, si quod tentet inire cum converso, qui ex eius machinatione illius maritum occidit in infidelitate. non tamen contrahetur si uterque fuit infidelis, quia respectu eorum non fuit impedimentum, cum neuter legi Ecclesiasticae subiaceret, quando crimen fuit perpetratum, & proinde non potuerunt hoc impedimentum incurere cum homicidium committeretur, neque postmodum incurrunt, cum tale impedimentum non incurratur, nisi dum ponitur actio, cui annexitur.

131. *Dubium.* Quid si leges vel consuetudine gentis tale matrimonium inter ethnicos sit etiam irritum?

Resp. 1. non valide contrahere in infidelitate. *Resp.* 2. si contrahant, postquam ad fidem sunt conversi, matrimonium videtur validum. ratio est, quod tale matrimonium non irritetur propter impedimentum legis Ecclesiasticae, utpote quae il-

los non ligaverit, cum crimen committeret, neque etiam irritetur propter impedimentum lege vel consuetudine ethnicorum inductum, quia per susceptionem baptismi istis legibus subducuntur, & proinde non amplius perdurat impedimentum, quod antea contraxerant, cum fuerit humana potestate inductum, & proinde non daret postquam aliquis subductus est potestati, per quam oritur impedimentum. Dubio autem primo diximus esse probabile Christianos ethnico principi civiliter subiectos non obligari eius legibus quoad matrimonium.

Dirimitur 2. matrimonium propter homicidium coniunctum adulterio, quando scilicet adulter, vel adultera occidit propriam, vel complicit comparem: ut si Ioannes adulter cum Catharina occidat maritum Catharinae, vel Catharina vxorem Ioannis, non possunt valide inter se matrimonium inire, siue viua comparte sibi mutuo fidem dederint, siue non. patet cap. *super hoc*, & cap. *significasti*, de eo qui duxit in matrimonium, quam poluit per adulterium. vbi

Adverte hoc impedimentum non solum oriri, quando adulter occidit suam vxorem vel maritum adultera, sed etiam si adultera fuerit machinata in vxorem eius, cum quo adulterium committit, quia id expresse decernitur cap. *super hoc*, citato, immo verius est etiam oriri, quando adultera proprium maritum occidit, quod tenet Caietan. verbo *matrimonium* 12. Bellarm. libr. de matrimonio cap. 22. Henriquez lib. 12. cap. 14. num. 2. & plures, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 7. disput. 78. num. 8. patetque ex can. *si quis viventes* 31. quaest. 1. contrarium tenet Victor, num. 292. quoad posteriorem casum, cuius sententiam censet probabilem Henriquez supra in commentario littera V.

Notandum 1. ut ex hoc capite oriatur impedimentum dirimens, non requiri conspirationem vtriusque, ut patet ex textibus citatis.

Notandum 2. non sufficere designationem homicidij etiam cum adulterio, sed requiri actualem occisionem: nam textus videntur requirere machinationem cum effectu.

Notandum 3. requiri, ut paulo ante diximus, ut occiso fiat ex intentione perveniendi ad matrimonium cum adultera, vel adultero, propter rationem allatam, & tenent communiter Doctores, quamvis pauci contrarium sentiant. unde si quis occidat maritum eius, cum qua adulterium commisit, quia ab eo gravi contumelia affectus est, non prohibetur eius vxorem superstitem ducere.

Notandum 4. non videri hoc impedimentum oriri quando alter solum est Christianus, eo quod canones de eo non disponant, & de cetero lex poenalis potius sit restringenda, quantum verba commodè patiuntur; in praesenti autem commodè possumus interpretari verba legis, quando uterque Ecclesiae est subiectus.

Notandum 5. ut hoc impedimentum incuratur, quorundam sententia requiri adulterium vtrique notum: si enim libera commercium carnale habeat cum coniugato ignara status illius, isque propriam vxorem occidat, ut alteram possit accipere, cum qua commisit adulterium, censent non oriri impedimentum matrimonium dirimens: quia textus agentes de hoc impedimento videntur supponere adulterium vtrique notum, & ita sentit Sa de impedimentis dirimentibus num. 7. Sanchez

132.

Dirimitur etiam propter homicidium coniunctum adulterio.

Cap. super hoc. Cap. significasti.

133.

Caietan. Bellarm. Henric. Sanchez. Can. si quis viventes. Victor.

134.

135.

Corollaria.

136.

Adulterium debet vtriusque esse notum secundum quosdam.

Sa. Sanchez.

Probabilius
sufficit, no-
tum esse
machinanti
mortem.

disput. 78. num. 12. Verum probabile est sufficere adulterium esse notum machinanti mortem, & compartem occidi, ut matrimonium contrahatur cum ea, cum qua copula carnalis est habita: quia eo casu verè inuenietur adulterium formale ex parte machinantis, & simul occasio, & quamvis in specie facti proposita in cap. videatur intervenisse utrimque notitia adulterij: Pontifices tamen in suis decisionibus non videntur ad illam attendisse, sed quod adulter ex intentione ducendi in uxorem eam, quam cognovit, propriam uxorem occiderit, vel occidi curaverit, ut scilicet ex eo capite frustraretur matrimonio, per quod ad matrimonium pervenire putabat.

Confir. ex
cap. veniens.

Confirm. ex cap. *veniens*, de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, ubi coniugatus qui copulauerat sibi matrimonio aliquam ignaram prioris matrimonij, non potest uxore mortuâ illam in uxorem habere, si machinatus est in mortem vxoris propriæ. & ita tenet Rebellius lib. 3. quæst. 8. num. 11.

Rebell.

Requiritur tamen homicidium veri coniugis alterutrius partis: unde si matrimonium alicuius fuerit invalidum, isque adhærens alteri occidat eam, quam putat esse uxorem suam, non impedietur, quod minus cognitâ veritate validè cum illâ contrahat.

137.

Alteri crim-
en propter
quod dirimitur
matrim. est
adulterium.
Prima condi-
tio requi-
sita.

Alterum crimen propter quod matrimonium dirimitur inter certas personas, est adulterium. ut autem dirimat, certas condiciones requirit.

Cap. veniens.

1. est, ut sit notum utrique, seu, ut uterque sciat saltem alterutrum esse coniugatum. patet ex cap. 1. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit &c. ubi decernitur cum qui viâ uxore aliam huius rei in sciam sibi copularat, non debere discedere ab illâ post mortem prioris, quod intelligendum si post mortem affectu maritali illi adhæserit. Idem indicatur cap. *veniens* citato. immò aliqui censent ignorantiam crassam, vel etiam supinam non obstat.

Secunda
conditio.

2. conditio est, ut vel matrimonium, quantum in se est, in eam viâ comparet, vel saltem fidem sibi præstent de matrimonio ineundo post mortem compartis. patet ex cap. ult. citato, item peculiariter de fide datâ cap. *ex litterarum*, cap. *riam habet*, cap. *significasti*, eodem titulo: non requiritur tamen scientia prioris matrimonij, antequam fides præstetur vel matrimonium in eam, sed sufficit, ut habeatur ante ipsam copulam.

138.
Petitio.

Petes, an sufficiat vnum fidem præstare? Aliqui negant, eò quod videatur requiri consensus sufficiens ad sponsalia; hic autem debet esse reciprocus: item ex eo quod promissio matrimonij ab vno facta non accedente alterius mutuâ promissione non inducat obligationem, ut censent aliqui.

Resp. affir.

Sed videtur omnino verius promissionem vnius sufficere, quia cap. ult. dicitur, si quis uxore vivente fide datâ promiserit aliam se ducturum &c. & infra dicitur: *Tolerari non debet, si prius vel postea, dum vixerit vxor ipsius, illam adulterio polluisset.* ubi ad matrimonium dirimendū sufficit vel vnius promissio ab alio acceptata, licet non vicissim re-promittente, accedente adulterio. & ita sentit Rebellius quæst. citatâ, num. 5. & alij. unde ad prius in contrarium Resp. non requiri mutuum consensum in matrimonium, seu non requiri consensum sufficientem ad sponsalia, sed sufficere consensum ad sponsalia sufficientem, quantum est ex parte promittentis. Ad posterius dico promissionem hanc posse inducere obligationem, ut infra.

Rebell.
Soluuntur
argumenta
sentent.
contrariæ.

Aduerte hoc impedimentum induci, siue adulterium præcedat, siue sequatur matrimonium vel promissionem matrimonij ineundi cum aliquâ, ut clare constat ex cap. ult. citato, intelligi nisi fides sit remissa ante adulterium: unde sufficit etiam conditionata promissio, modo conditio impleatur ante remissam fidem, & non deficiat ante adulterium.

Peti potest, an sufficiat ficta promissio? Afferunt aliqui. Sed non videtur improbabile eam in conscientia non sufficere: quia non est vera promissio, cum ergo lex pœnalis potius sit restringenda, quantum verba patiuntur, non videtur extendenda ad fictè promittentem.

Ex eo quod requiratur adulterium, efficitur quod non inducatur impedimentum, si soluta cognoscat eum, qui putatur coniugatus, verè tamen non est, quia matrimonium à parte rei fuit inualidum. ut si Maria soluta cognoscat Ioannem, quem putat coniugatum, cum tamen propter affinitatem, vel consanguinitatem cum comparte matrimonium nullum sit, vel quacumque aliâ ex causâ, poterit validè cum eo matrimonium inire: etiam si sibi mutuâ fidem dent de matrimonio post mortem vxoris illius ineundo. quia verè à parte rei non est adulterium.

D V B I V M XVI.

De impedimento raptus?

O L I M inter raptorem, & raptam non oriebatur impedimentum matrimonium dirimens, iuxta cap. ult. de raptoribus, & proinde in locis, quibus Trid. non est receptum, matrimonium ex eo capite non irritatur, si libero consensu in eam.

Tridentinum verò sess. 24. cap. 6. de reformatione matrimonij constituit raptum dirimere matrimonium his verbis: *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.* ubi

Notandum 1. raptum requirere violentam extractionem ex domo libidinis causâ, vel ad matrimonium ineundum: unde si quis violentè aliquam opprimat in eodem loco, non erit raptus: sed stuprum. & si ea liberè consentiat in matrimonium, etiam antequam separaretur ab eo qui vi oppressus, subsistet matrimonium, si cetera requisita adsint. non erit etiam raptus, si nulla vis inferatur, ut si puella precibus, vel suasionibus amarij inducitur in scis parentibus cum illo discedat. non erit etiam raptus, si non extrahatur libidinis causâ, vel ad matrimonium ineundum, ut si extrahatur ut vendatur, vel in seruitutem redigatur.

Notandum 2. raptum irritare matrimonium non solum, quando virgo violentè abducitur, sed etiam quando corrupta, siue ea sit vidua, siue non.

Petes 1. an raptus dirimat matrimonium, si fiat solius libidinis causâ, non verò ad contrahendum matrimonium?

Resp. non videri. ita Sánchez lib. 7. de matrimonio disput. 13. num. 4. Lessius lib. 4. de virtutibus cap. 3. dubit. 9. num. 70. unde si quis violentè abducatur virginem ex domo paternâ, ut ea abutatur, eaque liberè consentiat in matrimonium, antequam separaretur, & subducatur potestati raptoris, matrimonium videtur subsistere, idque videtur declarasse Congregatio dicens raptorem ob aliam causam, quam ut in uxores ducant, non comprehendi à Concilio propter identitatem, vel

Congruum est eum solum raptum dirimere matrimonium, per quem matrimonium attentatur.

143. Petisio. 2. Lest. negat. Affirmant Tolet. Henrig. Sa. Rebell. Quibus subscribitur Auditor.

maioritatem rationis, nec constitutio penalis extenditur tali casu. ratio est, quod videatur congruum eum solum raptum dirimere matrimonium per quem ipsum matrimonium attentatur, ut scilicet nemo audeat attentare id, per quod videtur se suo fine frustrandum.

Petes 2. an matrimonium dirimatur, si vis inferatur solis parentibus, vel iis, quorum cura subest puella, sique soli repugnent abductioni, consentiente puella? Negat Lestius supra, quia consensus parentum non requiritur ad valorem matrimonij. Affirmant communis Doctores, qui post Trident. scripserunt. Toletus lib. 7. cap. 13. num. 3. Henriquez lib. 12. cap. 14. num. 4. Sa verbo matrimonium num. 9. Rebellius lib. 3. quaest. 11. nu. 6. quae sententia videtur verior, ratio est, quod si sit proprii raptus, ut communiter Doctores, & patet ex L. vnicâ, Cod. de raptu, fiatque ex intentione matrimonij contrahendi, ut supponitur.

Confir. praedicta lege talis raptus irritabat matrimonium; lex autem canonica, siue cap. finali citato, siue in Concil. Trident. agit de raptu secundum acceptionem legis civilis, ad quam videtur respicere, nec Trident. videtur solum irritare matrimonium propter vim allatam ei, cuius consensus ad matrimonium omnino requiritur, sed in detestationem ipsius criminis, & ne quis per huiusmodi violentiam ad matrimonium perveniat.

Petes 3. an matrimonium dirimatur, si quis ducat in uxorem aliquam, quae eo infcio rapta est eo sine, ut matrimonium inane? v. g. quidam sciunt nobilem aliquem adamare virginem, in quorum matrimonium parentes nolunt consentire, illo infcio vi abducitur, ut matrimonium inter illos inaeatur, an valeat matrimonium, si antequam a raptore separatur, liberè consentiat?

Resp. affirmatiue, quia tale matrimonium non inuit inter raptorem, & raptam.

Confirm. ille non incurrit penas Concil. Trid. cum ergo inferantur omni raptori, inter quem, & raptam matrimonium nequit consistere, quamdiu haec sub illius potestate consistit, efficitur, quod matrimonium subsistat, immo idem censeo, quamvis praenoscit eorum machinationem, & de ea delectaretur, quia ibi siliendo si nihil aliud faciat, seu, si nullum concursum in opus externum prebeat, non potest dici raptor, vel incurere penas raptoris.

Petes 4. an matrimonium dirimatur, si contrahatur inter raptam, & eum, qui mandavit rapi, quamvis ipse physice ad raptum non concurrat? videri possit non dirimi, cum talis non videatur dici raptor, sed contrarium omnino dicendum, quia communi iudicio non solum dicitur raptor, qui physice rapit, sed etiam is, cuius imperio raptus peragitur, quique per alios tanquam per sua instrumenta crimen exequitur.

Confir. scopus Trident. fuit potissimum potentes per talem legem, & irrationem coercere, qui minime fuissent coacti, si tum solum matrimonium inualidè cum raptâ contraheret, quando ipsi propriis manibus, seu nam abriperent, cum nobiles rarissime per se abripiant, sed id per suos soleant exequi. non videtur tamen sufficere, si postquam aliqui infcio domino virginem rapuerint, is consentiat, vel etiam mandet, ut retineatur: cum talis non videatur dici raptor. nam raptus non consistit in illâ detentione, sed in abductione violentâ, & proinde censeo eo casu matrimonium posse subsistere, si rapta liberè in illud consentiat, similiter videtur subsistere, si puella voluntariè sit

abducta infcisci parentibus, qui postmodum cognoscentes eam alicubi detineri, repugnent. quia, ut iam dictum est, eo casu non videtur raptus, cum non sit violenta abductio. si tamen repugnât, dum adhuc abducitur, quamvis in initio abductionis fuerint ignari, non subsistet matrimonium. quia eo casu est verus raptus, & violenta abductio, si non in initio, saltem in progressu.

Petes 5. an ubi Trident. receptum est, dirimatur matrimonium, si sponsa repugnantibus parentibus abducatur?

Resp. non videri, ita Lestius supra, Henriquez lib. 12. cap. 14. num. 4. Sa num. citato.

Probatur, cap. penultimo de raptoribus dicitur, raptum dici admitti, ubi nihil antè de nuptiis agitur, ergo iure communi non dicitur raptor, quando praecessit sponsalicius contractus: cum ergo decretum Concilij Trident. sit intelligendum conformiter iuri antiquo, matrimonium eo casu subsistet, hoc verò intellige, si soli parentes repugnât, quia cap. citato de illis solis agitur; unde si abducatur sponsa repugnans, praesertim quando habet iustas causas non procedendi ad contractum matrimoniale, vel quando habet causas differendi, videtur committi raptus, & dirimi matrimonium, quamdiu illa est sub potestate raptoris. videri potest Azor 3. parte moralium lib. 3. cap. 14. quaest. 3. & 4.

Adde eum dici raptorem, qui sponsam inuitis parentibus abducit, ut cum illâ fornicetur. quia cap. citato solum videtur negare raptum committi quando sponsa abducitur in ordine ad legitimum matrimonium, quia per sponsalia acquiritur ius aliquod in sponsam, ut matrimonium legitime perficiatur.

Petes 6. an subsistat matrimonium, si rapta liberè consentiat, antequam loco tuto constituitur? Affirmat Azor cap. citato quaest. 2. Sed verius est non subsistere, quod tenet Petrus Ledesma qu. 50. art. 1. §. est secunda difficultas, Henriquez numero citato, Lestius dubit. citatâ num. 69. Sanchez disp. citatâ num. 2. Toletus lib. 7. cap. 13. num. 3. patet ex Trident. loco citato: Decernit sancta synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. quo loco Concilium reddit omnem consensum puellae, vel cuiuscumque alterius raptae inefficacem ad matrimonium cum raptore contrahendum ante actualem, & realem ab eo separationem.

Confir. 1. ex sequentibus: Quid si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat. quibus verbis indicat non posse consistere matrimonium, quamdiu rapta est sub potestate raptoris, quamvis illa consenserit, alias nulla fuisset ratio id adiciendi.

Confirm. 2. Concilium per hunc discursum intendit decernere aliquod discrimen in ordine ad valorem matrimonij inter consensum liberè praestitum à raptâ, dum est in potestate raptoris, & dum eiusdem potestati est subducta; nullum autè discrimen assignaretur, si in utroque casu matrimonium posset perfici per liberum consensum raptae.

Confir. 3. Concil. vult irritare matrimonium etiam eo casu, quo secundum ius antiquum cap. ult. de raptoribus, non irritabatur, ergo etiam eo casu, quo liber consensus praestetur à raptâ sub potestate raptoris constituta.

Confir. 4. omnium iudicio Trident. inducit novum impedimentum matrimonium dirimens;

145.

Petisio 5.

Resp. negat. Lestius. Henrig. Sa.

Trident. intelligendū conformiter iuri antiquo.

Si abducatur sponsa repugnans, videtur raptus.

Azor.

146.

Petisio 6.

Azor affir. Resp. neg. Ledesma. Henrig. Lest. Sanchez. Tolet. Prob.

Confir. 1.

Confir. 2.

Confir. 3.

Confir. 4.

atque secundum priorem sententiam non induceret, cum iuxta illam matrimonium inter raptorem, & raptam solum irritaretur, quando consensus non præstaretur liberè, atque adeò solum irritaretur ratione metus, quod etiam iure antiquo matrimonium dirimit. Dicendum ergo Concilium dirimere matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc sub illius est potestate, ratione criminis ab eo perpetrati, & ut nullus attentet raptum matrimonij ineundi causâ, cum per illum matrimonium inualideretur, quantumvis raptam consentiat, cuius consensum Concilium reddit pro tempore inefficacem. Quod si loco tuto constituta liberum consensum præstet, validè contrahit, ut patet ex Trident. ex quo patet hoc impedimentum esse temporale. Quandoque censetur libertati suæ restituta, seu in loco tuto, pendet à prudentis iudicio. in genere videtur dicendum requiri, ut tali loco sit constituta, ut nihil periculi amplius à raptore, eius famulis, vel affectis illi imminere, atque adeò non sufficere realem separationem. unde si puella ad suos rediens in viâ consensum præstet in matrimonium, non subsistit si imminere ei aliquod à raptore periculum.

Petes 7. an dicta de raptore sint intelligenda de raptrice viri? Afferit Henriquez supra. Negat Rebellius quæst. citatâ num. 6. Sanchez lib. 7. disput. 13. num. 16. & lib. 4. in Decalogum cap. 4. num. 3. quod est verius. itaque si mulier iuvenem, vel alium rapiat per suos matrimonij ineundi causâ, isque in matrimonium liberè consentiat, antequam separaretur, omnino subsistit matrimonium; ratio est quod Trident. non videatur agere de fœminâ, utpote quæ vix unquam raptum solet committere, sed solum de raptu, qui in ordine ad matrimonium à viris frequenter committi solet.

Confirm. 1. nisi lex sufficienter exprimat, non solet comprehendere casus omnino rarò contingentes, sed est de communiter contingentes.

Confr. 2. lex Ecclesiastica de raptu, & proinde lex Trident. videtur respicere ad legem civilem, & secundum illam intelligenda; atque lex vnica, Codice de raptu, non videtur intelligi de raptu per fœminam facto.

Petes 8. an quo casu matrimonium redditur nullum propter raptum, etiam irritentur sponsalia?

Resp. si verba Concilij spectemus, non videri irritari, quia solum agunt de matrimonio; ex quo, præsertim in dispositione penali, non ducitur legitimum argumentum ad sponsalia, potissimum cum hæc legitime contracta solui possint, illud verò non possit: Azor tamen lib. cit. cap. 15. in fine refert responsionem Cardinalium, qui censuerunt, quo casu matrimonium inter raptorem, & raptam est nullum, inualida etiam esse sponsalia inter eosdem inter, quod etiam docet Molina tract. 3. de iustitiâ, disput. 105. num. 22. quod notandum, quia iuxta illam sententiam ex talibus sponsalibus, ubi Trident. receptum est, non oritur impedimentum publicæ honestatis.

Pro complemento huius dubij notandum prædicto loco Concilij Trident. varias penas raptui imponi, unde præter civiles, de quibus L. vnica, Cod. de raptu, ubi Trident. receptum est, raptor, confusum, auxilium, fauorem præbentes, sunt ipso iure excommunicati.

2. Sunt perpetuò infames omniumque dignitatum incapaces.

3. Si sint clerici, de proprio gradu decidunt.

4. Raptor tenetur dotare raptam, siue eam duxerit siue non, id hæc iudicis arbitrio, ubi

Aduerte 1. has penas non videri incurri, quando raptus perpetratur solius libidinis causâ, non verò ad matrimonium obtinendum: quia tota dispositio cap. 6. citati videtur intelligi de raptu perpetrato matrimonij causâ, & ita videtur expressè responsum à Cardinalibus quoad excommunicationem, & in genere quoad alias penas. immò probabile est quod sentit Sanchez disp. citatâ, num. 6. cum, qui proprio motu aliquam rapit, ut alius cum eâ matrimonium ineat, in has penas non incidere.

Aduerte 2. raptorem videri has penas incurere, etiam si raptam validè in uxorem accipiat, quod videtur clarè patere ex Trident. & docet Lessius supra num. 69. Molina supra, qui id optimè probat: quia penas incurruntur etiam antequam matrimonium initi possit, scilicet per raptum, antequam raptam subducatur potestati raptoris, & quidem incurruntur absolute, nec est textus, qui declaret per matrimonium subsequens aboleri. videri etiam potest Sanchez disp. 13. num. 1.

Dices inde sequitur raptam debere nubere infami. ita Henriquez num. 3. citato tenens oppositum.

Resp. id non sequi, cum possit à nuptiis abstinere, si velit.

Aduerte 3. raptorem non teneri ante iudicis sententiam raptam in uxorem accipere, vel dotare.

D V B I V M XVII.

Utrum disparitas cultus dirimat matrimonium contrahendum?

SE v, vtrum ij, qui sunt disparis cultus, & religionis prohibeantur validè inter se matrimonium contrahere?

Dico 1. quando uterque contrahentium est baptizatus, matrimonium non redditur irritum propter disparitatem cultus, ut si Catholicus contrahat cum hæretico, Iudæo, vel pagano, qui baptismum suscepit. est communis, & certa.

Aduerte tamen huiusmodi matrimonia esse illicita nisi grauis aliqua circumstantia excuset, sitque moralis spes occurrendi incommodis, quæ ex talibus matrimoniis sequi solent.

1. quia est periculum peruersionis ipsius fidelis.
2. Est periculum, ne proles malè educetur in fide.

3. Pax, & tranquillitas vix potest sperari in tali coniugio, cum dissensio in religione faciliè pariat animorum alienationem, & perturbationem familiaræ. unde Concilia prohibent coniugia cum hæreticis, ut patet ex Concilio Chalcedonensi can. 15. & aliis. Idem prohibent Patres, Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 9. Causæ Christianæ gentilis aut Iudææ filiam suam tradere, causæ gentilem, aut Iudæam atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à tuâ fide uxorem accessas tibi. Idem prohibet Apostolus iuxta variorum interpretationem cum 1. ad Corinth. cap. 7. ait: Cui vult nubat, tantum in Domino.

Dixi, nisi grauis aliqua circumstantia excuset, quia id non videtur ita intrinsecè malum, ut nullo casu possit coonestari. unde si grauis causa vigeat, posset saltem ex Pontificis dispensatione matrimonium

Petio 7.
Afferit
Henric.
Negant
Rebell.
Sanchez.
Postremis
adhæret
Auct.

Lex non
solet com-
prehendere
casus rarò
contingen-
tes.

Petio 8.
Resp.

Azor.

Molin.

149.

Penas ra-
ptoribus à
Trid. impo-
nit.

matrimonium iniuri à Catholico cum hæreticis, si mi-
ter proponendo occurrere in modis recensitis.
patet, matrimonium vel potest spectari, ut est con-
tractus civilis, & non redditur illicitus, eo quod
ineatur cum hæretico, cum multi alij contractus
licite possint iniuri cum hæreticis, vel spectari po-
tess secundum rationem particularem, quod scilicet
sit contractus, per quem ineatur perpetua vitæ
societas, & neque hoc obstat quod minus inter-
dum licite iniuri possit, quia Iacob non videtur pec-
casse accipiendo in uxores filias Laban, quæ viden-
tur fuisse idololatæ, non videtur etiam peccasse
Moyses accipiens in uxorem filiam sacerdotis
Madian. vel 3. spectari potest tanquam Sacramen-
tum in noua lege, quod ab hæretico in mortali
suscipitur, & proinde peccet Catholicus per par-
ticipationem cum peccato alterius. quæ ratio etiam
non facit, ut nullo vnquam euentu sit licitum
contrahere cum hæreticis: cum enim ratio Sacra-
menti fundetur in ratione contractus civilis, si
quis graui de causâ moueatur ad civilem contra-
ctum ineundum, potest eum inire, quamuis com-
pars peccet, & in eâ circumstantiâ non censetur
eius peccato cooperari.

Dices, eo casu conferet Sacramentum indig-
no.

Resp. id non refertur, quia non est ita intrinsece
malum conferre Sacramentum indigno, ut nullo
euentu liceat, cum ergo in dicto casu subit grauis
causa contrahendi matrimonium, & proinde mi-
nistrandi Sacramentum comparti, non peccat qui
eo euentu ministrat Sacramentum indigno.

Confir. peccatum hoc consistet vel in coope-
ratione cum peccato alterius, vel in irreuerentiâ,
quæ censeretur irrogari Sacramento, dispensando
indigno; atqui ex neutro capite peccatum com-
mittitur, quia habens grauem causam aliquid ho-
nestum faciendi non censetur cooperari peccato,
quod forte alius in eo committit, & grauis causa
facit, ut non censetur iniurius in Sacramentum,
qui illud ministrat ei, quem scit non recepturum
sine peccato, ut patet in ministrante Eucharistiam
oculto peccatori publicè petenti.

Dico 2. matrimonium baptizati cum non ba-
ptizato est irritum, est etiam communis, & certa
apud Catholicos. unde si baptizatus contrahat
matrimonium etiam cum catechumeno, matri-
monium est nullum, huius rei non videtur extare
lex expressa Pontificiâ, vel Concilij generalis: est
tamen Ecclesiastica consuetudo vim legis obti-
nens. Ex quo patet matrimonium hæretici, vel
alterius apostatæ cum non baptizato esse irritum.

Difficultas est, an hoc impedimentum solâ con-
suetudine Ecclesiasticâ inductum sit, an verò sit
iuris naturæ, vel saltem diuini.

Pauci, quos citat Sanchez lib. 7. disp. 71. num.
6. censent esse iuris diuini, quorum sententiam
amplectitur Vasquez tomo 4. in 3. partem disp. 2.
cap. 4. num. 20.

Plurimi quos citat, & sequitur Sanchez disp.
cit. num. 7. Rebellius lib. 3. quæst. 9. num. 2. cen-
sent solâ Ecclesiasticâ consuetudine inductum,
quæ sententia communissima est omnino verior,
itaque

Dico 3. matrimonium fidelis cum infideli etiam
non baptizato non est iure naturæ inualidum.

Probatur ex eo quod paulò antè ostendimus
aliquos fideles coniugium cum infidelibus celebra-
sse, qui tamen nusquam reprehenduntur, quasi fue-
rint in statu fornicationis, quod non tacuisset scri-

ptura, si hæc matrimonia fuissent inualida. neque
ea videntur ex peculiari Dei dispensatione cele-
brata: quia hæc dispensatio à nullo cognoscitur,
sed videntur fuisse legitima iuxta morem gentium,
inter quas versabantur. sic Patriarcha Ioseph
gentilem duxit in uxorem, Esther nupta est Assue-
ro gentili &c.

Dices hæc ostendere valida fuisse similia matri-
monia in Testamento veteri, non verò ostendere
esse valida in nouo, de quibus potissimum quæstio
instituitur. quæ iure naturæ esse inualida proba-
tur: matrimonium in nouo Testamento est Sacra-
mentum, nec potest à baptizato iniuri, nisi suscipiat
Sacramentum; Sacramentum autem suscipi ne-
quit nisi vterque sit baptizatus, ergo suppositâ in-
stitutione Sacramenti matrimonij, ex rei naturâ
fieri nequit ut subsistat matrimonij contractum
à baptizato cum non baptizato.

Resp. neg. secundam partem maioris, quia
quidquid sit de eâ quæstione, num ratio Sacra-
menti possit separari à contractu matrimoniali,
quando duo baptizati inter se contrahunt: proba-
bilis tamen est separandum in nostro casu, ut
quæst. 2. dubio 2. diximus.

Adde quod si quis dicat Sacramentum futurum
ex parte baptizati, nullum in præsentî difficultate
futurum absurdum.

Dico 4. disparitas cultus non dirimit matri-
monium iure diuino.

Probatur 1. Paulus 5. in bullâ, quæ incipit, *Vt
animarum salutis*, datâ anno 1616. 21. Iunij concessit
Episcopo Funaiensi in Iaponia, & Superioribus
Societatis in regno Chinarum, ut ad decennium
posset dispensare in impedimento disparitatis
cultus, ut matrimonia essent legitima. quam bul-
lam mihi communicauit P. Nicolaus Trigault
Duaci 3. Martij anno 1617. ergo hoc impedimen-
tum non irritat matrimonium iure diuino, cum
Pontifex in impedimento iuris diuini non possit
dispensare. Nec similiter dirimit iure naturæ,
quod præcedenti conclusione diximus, quia Pon-
tifex nequit etiam in tali impedimento dispen-
sare.

Probatur 2. non apparet ex scripturâ, traditio-
ne, vel Ecclesiæ sensu de tali impedimento, sed
potius apparet contrarium ex eo quod Christus
non dedit vlla præcepta morum, sed solum fidei,
& Sacramentorum, quoad ea suscipienda.

Confir. Christus solum eleuauit matrimonium
ad esse sacramentale, de cætero quoad necessaria
contractus legitimi illud relinquens legi naturæ,
iuxta quam non irritatur matrimonium fidelis
cum infideli.

Probatur 3. initio Ecclesiæ vix aliter potuerunt
fideles matrimonia inire, quam cum infidelibus.

Confirm. ex eo quod S. Monica nupserit viro
infideli, ut testatur August. lib. 9. confessionum
cap. 9. cuius matrimonium non fuit iudicatum in-
ualidum, & ex eo quod S. Hieronymus lib. 1. ad-
uersus Iovinianum testetur suo tempore frequen-
tia matrimonia fidelis cum infideli, quæ licet val-
de improbet, non tamen censet inualida. simili-
ter & Augustin. lib. de fide & operibus cap. 19.
agens de matrimoniis fidelis cum infideli ait: *Quæ
nostri temporibus iam non putantur esse peccata,
quoniam venera in nouo Testamento nihil inde præce-
ptum est.*

Ex quibus patet hoc impedimentum solo iure
Ecclesiastico non scripto inductum esse, recep-
tâ scilicet consuetudine Ecclesiasticâ, & quidem

158.

Obiectio.

Resp.

159.

Conclus. 4.

Prob. 1.

Prob. 2.

Prob. 3.

Hieron.

August.

iam à multis sæculis, quæ consuetudo licet non possit directè obligare non baptizatum: potest tamen baptizatum, interdicendo & irritando matrimonium, quod cum non baptizato inire tentaverit.

D V B I V M XVIII.

De impedimento ligaminis.

160.

Ligamen hic quid.

LIGAMEN vocari solet vinculum prioris matrimonij vivente utraque comparte, quod irritare subsequens matrimonium patet ex quaest. 1. dub. 7.

Ut cognoscatur quandonam is, qui prius coniugatus fuit, licet possit ad secundas nuptias transire.

161.

L. uxores.

L. uxor.

Authent.

Hodie.

Cap. in pre-

sentia.

Notandum, cum vni parti incidit dubium de morte comparts propter eius absentiam, iure civili præfixum, ut expectetur ad quinquennium, L. uxores, 6. ff. de iurortis, quod tempus ad quadriennium redactum L. uxores, 17. Cod. de repudiis: quæ tamen merito tum per ipsum ius civile, Authentica, hodie, Cod. cit. tum per ius canonicum cap. in præsentia, de sponsalibus, correctæ sunt, ubi decernitur ob nullam absentiam licere alteri coniungi aliud matrimonium inire, nisi aliqua mortis certitudo habeatur. itaque nullus potest licet secundum matrimonium inire propter quantumvis diuturnam comparts absentiam, quamvis non sciat illam vivere, sed requiritur, ut positivè sciat mortuam, & qui dubitans de morte comparts inire aliud matrimonium absque prævio diligenti examine, quo rei veritatem valeat cognoscere, graviter peccat, peccat etiam, qui post examen contrahit, remanens dubius, immò non possunt debitum petere, quia neuter est possessor bonæ fidei: cum per priorem legitimum contractum maneat suæ comparti obligatus, & non possit licet alteri dominium sui corporis tradere, nisi sciat se liberum ab onere prioris coniugij, quod scire nequit, nisi sciat priorem coniugem obisse, & proinde qui dubitans nullum præmittit examen ad rei veritatem cognoscendam, vel qui post examen adhuc remanet dubius, non potest licet aliud matrimonium inire, quod peculiariter decernitur de dubitante, cap. in præsentia, citato.

162.

Quaestio. Prior sent.

Sylvest.

Posterior.

Sot.

Covar.

Sanchez.

163.

Posterior

decedit.

Quæri potest qualis debeat esse hæc notitia? Varij censent sufficere probabilem moralem, ita varij Canonistæ, Sylvest. verbo *matrimonium* 8. quaest. 13, dicto 2. & 4. Sa de impedimentis dirimentibus nu. 11. quod indicat probabile Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 46. num. 5.

Alij censent requiri certam, ita scilicet ut iudicio prudentis non videatur de morte dubitandum, tenet Sotus distinct. 37. quaest. unica artic. 5. §. de hac verò certitudine, & sequenti, Covar. epitome 4. decretalium parte 2. cap. 7. §. 3. num. 3. & plures, quos sequitur Sanchez disp. citatâ num. 7.

Quæ sententia est verior, & conformior cap. in præsentia, citato, ubi dicitur: *Non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Et quamvis non videatur præcisè requiri ut nuntius specialiter ad id mittatur: Pontifex tamen eâ loquendi formâ satis indicat requiri notitiam, ratione cuius non possit mors prudenter in dubium revocari, siue ea scientia comparetur ex testibus fide dignis, siue per nuntium, siue per talia indicia, quæ, moraliter loquen-

do, omnem excludant formidinem. Ex quo patet non sufficere famam, nisi ea accedant argumenta, ex quibus non relinquantur prudentis iudicio dubitandi locus.

D V B I V M XIX.

Virum impotentia ad copulam carnalem dirimat matrimonium?

NO T A N D U M impotentiam aliquando superuenire matrimonio contracto, aliquando verò illud præcedere; rursus aliquam esse solum temporalem, aliam perpetuam; aliam esse absolutam respectu omnium; aliam esse respectu aliquorum tantum.

Suppono impotentiam superuenientem matrimonio non dirimere iam ante legitime contractum, ut si is, qui, dum esset potens, matrimonium contraxit, post legitime initum reddatur impotens, non idcirco vinculum dissolvitur, ratio est quod per legitimum matrimonij contractum sit translatum dominium corporis vnius coniugum in alium sub vinculo indissolubili, quod dominium amitti non debet propter superuenientem impotentiam, siue illa à natura, siue aliunde contingat, ut si aliquis ad valetudinem recuperandam, vel aliorum malitiâ sectus sit.

Dico 1. impotentia temporalis præcedens non irritat matrimonium. unde subsistit matrimonium iuuenis alicuius nati annos sedecim, qui propter teneritudinem nondum aptus est ad copulam exercendam, si accedente ætate futurus sit potens: similiter subsistit matrimonium puellæ quatuordecim annorum, quæ propter corporis dispositionem nondum potest pati virilem congressum, si suo tempore futura sit apta. Probatur ex cap. *fraternitatis*, de frigidis, ratio est, quod ex supposito tales non possint dici absolute impotentes ad actum coniugalem, igitur in ordine ad illum actum possunt dominium sui corporis tradere, quæ ratio non tantum ostendit matrimonium subsistere, quando hæc naturalis impotentia nota est comparti, sed etiam si ea sit ignota, ut communiter Theologi.

Dico 2. impotentia perpetua præcedens dirimit matrimonium, patet ex cap. *quod sedem*, ex cap. *ex litteris*, de frigidis, & maleficiis, ratio est, quod nullus possit sese valide obligare ad id, quod sibi est impossibile, ergo cui impossibile est actus coniugalis, eidem est impossibile per contractum matrimoniale ad illum se obligare, & in ordine ad illum tradere sui corporis dominium, quia deest materia circa quam ipsius contractus, scilicet corpus aptum generationi.

Obiicies, supra, quaest. 3. dub. 1. diximus non esse contra substantiam contractus matrimonialis asponere conditionem, quâ non teneatur coniux debitum comparti reddere, ergo impotentia etiam perpetua non poterit obstatæ valori matrimonij, quod ratione illius non possit actus coniugalis exerceri.

Consequentia probatur, non magis videtur obstatæ valori matrimonij id, quod ex natura vel aliis causis extrinsecis provenit, quam quod provenit ex communi consensu, & pacto.

Resp. neg. consequentiam, eiusque probatio, nem, quia qui in contractu matrimoniali obligat

se ad non petendum debitum, remanet physicè potens ad actum, eumque poterit exercere, si à conditione recedatur, & proinde potest tradere dominium sui corporis in ordine ad generationem, quod non potest physicè impotens, defectu materiz circa quam ipsius contractus.

168.

Coroll. 1.

Coroll. 2.

Ex dictis patet hoc impedimentum esse iuris naturæ, quia ex ipsa rei naturâ non valens actum coniugalem exercere non potest validè dominium sui corporis in ordine ad illum alteri tradere. Patet etiam hanc impotentiam non solum dirimere matrimonium, quando compari est ignota, sed etiam quando est cognita: quod enim pars illam cognoscat, non facit, ut is possit validè dominium sui corporis tradere.

Confir. impotentia ignorata iuxta communem sententiam dirimit iure naturæ, hoc autem iure non potest dirimere ex alio capite, quam quia invenitur defectus conditionis substantialis in materiâ, & per consequens in tali contractu invenitur error in materiâ; atqui quando adest notitia impotentiz verè etiam invenitur defectus conditionis substantialis in materiâ, igitur etiam eo casu matrimonium dirimitur.

Consequentia probatur, contractus non potest subsistere, nisi inveniat eus materiâ, hæc non potest inveniri, si deficiat conditio necessariâ ad illam requisita, ergo contractus matrimonialis non potest subsistere, si in alterutro contrahentium desit potentia ad actum coniugalem, quantumvis ea ab altero contrahente cognoscatur. Contrarium tenet Henriquez lib. 12. cap. 7. num. 4. & quidam alij, sed ex Bullâ Sixti dub. sequenti citandâ faciliè patebit necessariò asserendum, quod dicimus.

Henric.

169.

Hæc impotentia dirimit matrimonium respectu cuiuscumque partis si sit absoluta, ut si vir sit absolute frigidus, si mulier ita sit arcta, ut à nullo viro cognosci possit. si solum sit respectiva, solum dirimit matrimonium respectu eorum, respectu quorum est impotentia, non autem respectu aliorum.

DUBIUM XX.

Quando nam censetur quis impotens ad hoc, ut matrimonium dirimatur?

170.

Resp. 1.

RESP. 1. vir censetur impotens, si non possit seminare vel saltem non possit intra vas naturale feminæ.

Probatur quoad priorem partem, ad generationem non solum requiritur instrumentum permanent, sed etiam fluidum, immò hoc proximius exigitur, ergo si aliquis non possit semen formare, & proinde non possit in eo inveniri instrumentum fluidum generationis, non potest validè tradere dominium corporis sui in ordine ad generationem.

Probatur quoad posteriorem partem, ad generationem requiritur, ut semen recipiatur intra vas naturale feminæ, ergo qui non potest semen in illud immittere, non potest legitimè matrimonium contrahere, siue id contingat ex defectu viri, siue ex defectu feminæ, siue defectus sit à naturâ, siue aliunde.

171.

Coroll.

Ex quo patet ad valorem matrimonij non sufficere ut vir vas naturale feminæ possit penetrare, sed requiri ut in eodem valeat seminare, quod communissimè tenent Doctores. hinc frigidi non

possunt validè matrimonium contrahere, quia seminare non possunt.

Ex quo potest colligi quid dicendum de matrimonio Eunuchorum, de quo variè fuerunt olim sententiæ, quibusdam asserentibus etiam eunuchos, utroque testiculo carentes posse validè matrimonium contrahere, alijs id concedentibus, quando illa conditio est nota compari. 3. alijs dicentibus valere matrimonium, si possint aliquale semen emittere, quamvis ineptum ad generationem.

Verum iam nullus remanet dubitandi locus, cum Sixtus 5. constitutione editâ anno 1587. declaraverit illos ad matrimonium ineundum inhabiles in hæc verba: *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, ut coniugia per dictos & alios quoscumque eunuchos & spadones utroque teste carentes cum quiblibet mulieribus, defectum prædictum siue ignorantibus siue scientibus, contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostrâ declares, & tam locorum Ordinarijs, ne huiusmodi coniunctiones de cetero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos, qui sic de facto contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, & irrita, & invalida esse decernas.*

Ex quâ bullâ patet 1. talium matrimonium absolute esse irritum, siue compars sciuerit defectum, siue ignoravit.

Patet 2. esse irritum iure naturæ, quia postrema verba bullæ declarant etiam matrimonia ante illam constitutionem inita esse irrita, & invalida: cum tamen nulla sit peculiaris præcedens hac de re constitutio.

Ex dictis etiam sequitur non subsistere matrimonium eius, cui membrum virile est abscissum, vel attritum, vel ita affectum ut impediatur seminationem intra vas naturale feminæ.

Sequitur præterea non subsistere matrimonium viri, qui præ nimio calore semen intra vas naturale feminæ immittere non potest, si defectus nullâ arte curari possit. Quod si commotio non impediatur quò minus aliquid intra vas naturale possit immittere, subsistet matrimonium, quamvis plurimum extra vas effundat, quia potens est ad copulam aptam generationi.

Colligi etiam potest matrimonium non reddi invalidum propter senectutem, quod & usus Ecclesiæ comprobatur: quia senes possunt actum coniugalem exercere, & intra vas naturale feminæ seminare. Quod verum est, nisi quis sit adeò exhaustus, ut iudicio prudentum medicorum sit ineptus ad copulam, ita ut arte ad illam iuvare nequeat.

Resp. 2. femina censetur impotens, quæ est ita arcta, ut viri congressum, & copulam pati non possit, eiusque semen intra vas naturale recipere. ubi

Notandum 1. hanc impotentiam tunc censeri perpetuam, quando arte, vel humanâ ope non potest tolli absque peccato, vel magno periculo gravioris alicuius morbi. unde si aliqua contraxerit cum tali impedimento, matrimonium nullum est, & si postmodum miraculo, vel ope dæmonis, vel ingentibus cruciatibus, quos pertulit, curetur, ac reddatur apta ad copulam, non tenetur adherere ei, cum quo contraxerat: immò non potest, nisi renovet contractum, quia præcedens contractus fuit invalidus propter impedimentum secundum conditionem naturæ perpetuum: contrarium in hoc casu sentit Estius dist. 34. §. 3. quæst. 3. & in fine paragraphi 5. Quod si nolit contractum renovare, potest tam illa, quam vir, cum quo contraxerat, ad

Valia olim sententiæ de matrim. Eunuchorum,

172.

Eunuchi non possunt validè matrimonium contrahere

173.

Coroll. 1.

Coroll. 2.

Coroll. 3.

174.

Resp. 2.

Estius sentit contrar.

Fœmina
arcta tene-
re medio-
res dolo-
res propter
ius manti.

175.

Carol.

alias nuptias transire. Si impedimentum arte medicorum tolli possit absque gravibus tormentis, impotentia non censetur perpetua, neque matrimonium ex eo capite potest censeri irritum, quantumvis mulier mediocres cruciatus pati nolit: quos tamen tenetur sustinere propter ius mariti: quemadmodum propter illud idem ius non potest debitum coniugale marito negare, eò quod vel in congressu, vel in partu mediocres dolores sustineat.

Notandum 2. fœminam posse esse arctam vel respectu omnium, vel respectu aliquorum tantum. si sit arcta respectu omnium, non potest cum vilo validè contrahere: si verò tantum respectu aliquorum sit inhabilis, potest cum alijs validè contrahere, ad quorum congressum apta est, vel humanà arte potest aptari sine gravibus tormentis. unde mulier quæ contraxit cum minùs potente (quando perpetua est vis illa minor, quod addo propter eos, qui in adolescentiâ sunt minùs potentes, facti per ætatem valentiores ad copulam) à quo non potest carnaliter cognosci, si ab eodem separatur, & postmodum cognoscatur ab alio valentiore, & ita aptetur ad prioris congressum, non idcirco debet priori restitui, quia non ideo effecta est humanà arte apta ad prioris congressum, quod à valentiore fuerit cognita, neque ideo iudicandum est impedimentum respectu prioris fuisse solum temporale. Quod si fuerit cognita à non valentiore, quam sit prior, debet huic restitui, nam ex tali eventu apparet impotentiam respectu prioris non fuisse perpetuam. videri potest cap. si æternitatis, de frigidis.

176.

Notandum 3. non idcirco mulierem censeri impotentem, quod nonnisi cum maximo ægritudinis periculo congressum virilem pati possit, si hæc ægritudo, & difficultas non proveniat ex arctitudine, sed aliunde, cum sit sufficienter laxa, ut ipsam copulam patiat. Idem dicendum, si semen virile receptum non possit retinere, quia eo non obstante potest exercere actum, quantum est de se, & suâ ratione aptum ad generationem, & per talem actum potest fieri commixtio duorum, quod probat usus Ecclesiæ, quæ matrimonia steriliū non dissolvit, propter quam rationem subsistit matrimonium, quamvis mulier non possit parere sine evidenti mortis periculo. in primo tamen, & tertio casu non tenetur debitum reddere, ut alibi notavimus.

177.

Obiectio.

Verum autem eadici debeat impotens, quæ seminare non potest, pendet ex eâ questione, num semen fœmineum ad generationem sit necessarium, in quâ plurium sententiâ dicendum non censeri impotentem, quamvis contrarium non sit improbabile. Contra id, quod diximus ad valorem matrimonij requiri, ut vir possit penetrare vas naturale fœminæ, potest obijci, quod matrimonium illud debeat iudicari validum, quod potest consummari: potest autem consummari sine penetratione vasis naturalis, ut tenent varij, & dicitur experientiâ constare, nimirum matrice fœminæ suâ virtute naturali attrahente semen virile.

Resp.

Resp. neg. maiorem vniuersaliter veram, & dico id solum verum esse, quando consummatio fit mediâ naturâ instituta, quod est actus coniugalis per penetrationem vasis naturalis ipsius fœminæ: non verò, quando fit casu fortuito & omnino raro.

Confirm.

Confir. si semen non immittatur in vas fœminæ

ab ipso viro saltem coagente virtuti attrahente matricis, debet fieri mediâ pollutione ipsius viri, quæ ut minimum est peccatum materiale, & quidem ex parte ipsius modi agendi; nemo autem potest tradere dominium sui corporis ad actum qui ex se, & modo operandi non potest exerceri absque peccato.

Dicendum ergo est licet vir possit seminare, si tamen id non possit facere immediatè in vase naturali fœmineo, cum non possit validè matrimonium contrahere: ut si sit scetus, attritus &c. vel non possit contrahere cum aliquâ, si eius vas penetrare non possit, nec ea ad eius congressum possit aptari arte humanâ sine vitâ, vel grauioris morbi periculo, quamvis illa possit semen extra emissum intra matricem attrahere.

D V B I V M XXI.

An impotentia consurgens ex maleficio matrimonium dirimat?

CONSTAT experientiâ hominem interdum maleficio impediri à copulâ exercendâ, & communiter testantur Doctores, immò id in ipse supponitur, dum ponitur titulus de frigidis, & maleficiatis, quod impedimentum non solum patiuntur viri, sed etiam fœminæ: quamvis, ut varij referunt, viri frequentius.

Impedimentum autem hoc interdum est respectu omnium, interdum & quidem frequentius respectu aliquarum, item quandoque est perpetuum, quandoque temporale, diabolo solum ad tempus copulam impediens.

Porro varijs modis hominem impediri posse operâ diaboli plures tradunt, & in his Delrio lib. 3. disquisitionum magicarum parte 1. quæst. 4. sect. 8.

Si maleficiū sit temporale ex dictis patet matrimonium non dirimi, esse autem temporale potest dignosci à posteriori ex eo quod fœmina, quæ ab aliquo non poterat cognosci, postea ab eodem cognoscatur, cum non fuerit ab alio potentiore aptata, neque etiam remedio periculoso, vel operatione diaboli, vel miraculo.

De impedimento perpetuo est difficultas. Glossa in can. vlt. 33. quæst. 1. verbo, nequibunt, censet impotentiam perpetuam ortam ex maleficio non dirimere subsequens matrimonium, quam sententiam pauci alij amplectuntur. Verum communissima Theologorum, & Canonistarum sententia tenet contrarium, itaque Resp. &

Dico, impotentia perpetua orta ex maleficio dirimit matrimonium subsequens, patet ex praxi Ecclesiæ, si enim sufficienter probetur maleficiū, & impedimentum ex eo ortum, quod constat experimento non tolli, partes separantur iuxta can. vlt. citatum, qui licet sit Archiepiscopi Rhemensis, vsu tamen per totam Ecclesiam receptus est. Idem potest colligi ex cap. vlt. de frigidis, ubi videtur agi de maleficiato, cum is, de quo ibi est sermo, asserat se potuisse alias cognoscere præter uxorem, ratio est, quod non magis possit tradere dominium corporis sui in ordine ad generationem, & ad actum coniugalem is, qui impeditur per maleficiū, quam is, qui impeditur per naturam.

Ex quo patet quod quando maleficiū est perpetuum respectu omnium, cum nullâ validè matrimonium ineatur.

Maleficiū censetur perpetuum, quando tolli nequit

cenſetur
perpetuū

182.

Petitio.

Reſp.

nequit abſque peccato, vel miraculo, vt paſſim Doctores: ſecus ſi poſſit tolli per exorcifmos Eccleſie, vel per preces, ieiunia, & ſimilia quæ interdum impetrant vel ſanitatē, vel ſublationem maleficij, & quidem ſine miraculo.

Petes, quid dicendum, quando non poteſt conſtare, an maleficium ſit temporale, an perpetuum?

Reſp. ſi partes per triennium tentauerint copulam, nec eam potuerint exercere, cenſendum perpetuum, & matrimonium diſſoluendum, vt patet ex cap. ult. de frigidis. vbi

Aduerſe cum maleficium communiter ſit ſolum reſpectu alicuius in particulari, coniuges ſeparatos non ideo debere coniungi, quod vir cum alijs poſſit carnaliter miſceri; cum ex commixtione cum aliā non poſſit præſumi ſublatum maleficium reſpectu prioris: ſi verò experientia doceat ſine nouo maleficio, vel miraculo aliquem cognoviſſe eam, reſpectu cuius erat maleficiatus, poterit dignoſci maleficium non fuiſſe perpetuum, & proinde matrimonium ex eo capite non fuiſſe inualidum.

Maleficium interdum inferitur per ſola verba, vel per actionem, quæ ſtatim tranſit, nec quidquam poſt ſe relinquit, interdum per certa ſigna, vt ligaturam, & ſimilia quæ perdurant, & tamdiu durat maleficium, quamdiu remanent huiusmodi ſigna, quando prior modo inferitur, impedimentum cenſetur perpetuum.

Difficultas.

Difficultas verò eſt, num maleficium ſecundo modo illatum debeat dici perpetuum, & ita vt ſi hæc ſignorum poſitio præceſſerit matrimonium, illud irritet, quod intelligitur de matrimonio contracto, dum ea ſigna remanebant; ſi enim auferantur vel licite, vel illicite, matrimonium poſtmodum contractum ſubſiſtit. Difficultas hæc pendet ex reſolutione quæſtionis, num ea ſigna abſque peccato, tolli poſſint? ſi enim poſſint tolli abſque peccato maleficium, & impedimentum non eſt cenſendum perpetuum, erit autem cenſendum perpetuum & matrimonium dirimens, ſi nequeant tolli abſque peccato, vel miraculo, itaque

DVBIVM XXII.

184.

An liceat ſigna maleficij deſtruere?

Senſus diſſi-

NOTANDVM I. non poſſe merito dubitari, quin liceat ſigna maleficij deſtruere, & abolere in contemptum, & deſectationem magicæ ſuperſtitionis, & ipſius diaboli. in præſenti quaeritur, num eadem ſigna liceat deſtruere, vel amovere hæc ſpe vt nocuumentum ceſſet, & dæmon nocere deſinat?

Inter maleficium, & dæmonem poſſunt aliquando plura pacta concurrere, aliquando vnicum.

Notandum 2. inter maleficium, & diabolum interdum duo pacta concurrere, interdum vnum: nam maleficus aliquando pacificatur, vt dæmon teneatur nocere, quamdiu ſignū perdurat, vel quamdiu certo loco conſiſtit, adijciens vt teneatur deſiſtere à nocuumento, vbi ſignum fuerit ſublato: aliquando adhibet vnicum pactum, quo ſimpliciter conuenit, vt dæmon teneatur nocere permanente ſigno, ad nihil ulterius obligando.

Conſtat quod quando duo pacta interueniunt, neque maleficus neque alius quiſpiam poſſit abſque peccato auferre, vel deſtruere ſigna, intendendo obligare dæmonem ad non nocendum: id enim eſt velle pactum ſeruare, eſtque confirmatio, & approbatio prioris pacti, virtute cuius ſperatur ſalus, vel amotio impedimenti.

Quæſtio eſt, num liceat ſimpliciter hæc ſigna tollere ex ſpe quod dæmon nocere deſinet?

185.

Ioannes Heſſels, aliàs à Lonanio, vt refert Del- Negro lib. 6. diſquiſitionum magicarum cap. 2. quaest. 3. ſect. 1. docuit id nullo modo licere, quem ſequitur Eſtius eius diſcipulus, diſt. 34. §. 8.

Negant Ioan. Heſſels.

Eſtius.

Communiffima Theologorum ſententia tenet licere, ita Henricus quodlibeto 5. quaest. 33. qui expreſſe de noſtro caſu loquitur. Scotus diſt. 34. quaest. vnicā, dicens eſſe meritorium, Caiet. verbo mat. maleficium, num. 5. & tomo 2. opuſculo 12. Sotus Henricus diſt. 34. quaest. vnicā, art. 3. circa hoc autem, in ſine, Nauarr. cap. 11. numer. 29. Petrus Ledefma quaest. 8. de matrimonio art. 2. in ſine, Henriquez Nauarr. libr. 12. cap. 8. in ſine, Suarez tomo 1. de religione tract. 3. libr. 2. cap. 17. num. 9. Rebellus 2. parte de obligationibus iuſtitie libr. 3. quaest. 16. ſect. 4. Leſſius libr. 2. de iuſtitia cap. 44. dub. 6. & plurimi alij, quos citant, & ſequuntur Sanchez libr. 7. de matrimonio diſp. 96. numer. 3. & Delrio Delrio. ſect. 1. cit.

Communiſſima ſent. affirmat.

Scot.

Caiet.

Sot.

Nauarr.

Rebell.

Leſſ.

Sanchez.

Delrio.

Hæc ſententia eſt omnino verior.

Probatur, huiusmodi deſtructio, & ablatio ſignorum nō poteſt ex alio capite dici illicita, quā quod pactum cum dæmone contineat, vt etiam fateri debent authores contrariæ ſententiæ, cum ipſa ablatio, vel deſtructio ſecundum ſe ſpectata non ſit mala, ſimiliter ſanitas, quæ per eam quaeritur, non ſit mala, vnde ſequitur, quod ſolutio ſignorum magicorum non poſſit contrahere malitiam ex ſpe, & deſiderio ſanitatis; atqui in tali amotione, vel deſtructione nullum pactum cum dæmone intercedit.

Probatur, non intercedit explicitum, vt patet: non intercedere implicitum oſtenditur, qui nouit ſigna magica certo loco poſita, & diabolum tamdiu nociturum, quamdiu ea permanent, poteſt vti illā ſcientiā abſque commercio cum dæmone: quod enim commercium neceſſario intercedit, ſi quis cognoscens diabolum non diutius nociturum, quā ſigna permaneant, vtatur eā ſcientiā, & auferat ſigna, etiam ex ſpe ceſſationis nocuumenti?

Conſem. 1. qui ita ſe habet, nec petit effectum à diabolo, nec eum obligat, vel illi ſe ſubmittit, ergo non eſt, quod dicitur in tali deſtructione, vel amotione intercedere implicitum pactum cum dæmone. vnde bene Caiet. opuſculo 12. citato diſſolutionem, & deſtructionem maleficij dicit non eſſe opus malefici, vt maleficus eſt, ſed hominis ſcientis impedimentum proximi ſui, quia nulla hæc interuenit inuocatio dæmonis, ſed ſola diſſolutio ſigni, quo durante diabolus ſtatuertat malum alterius continuare.

Conſem. 2. ſi quis ſciat etiam à malefico ſigna certo loco poſita, & tranſeuntes per prædictum locum vexandos à diabolo, poſſet eum locum declinare etiam ex intentione ſanitatis conſeruandæ, & ne vexetur à dæmone, neque videtur id iure in dubium poſſe reuocari. quidni ergo in præſenti poſſit aliquis vti conſimili ſcientiā, deſtruendo ſigna, quibus durantiſſimis dæmon eſt nociturus?

Probatur 2. maleficus relinquendo ea ſigna perpetuò nocet & perpetuò peccat, non ſolum quā parte cenſetur habere commercium cum dæmone, ſed etiam quā parte proximo inferit iniuriam, à quā teneatur deſiſtere, ergo poteſt auferre ſigna, vt deſinat nocere proximo, neque id eſt operari ex priorē pacto, ſed illud deſtruere ex intentione

186.

Affirmatiua defenditur.

Prob.

Prob. 2.

ne ceſſa-

ne cessationis mali, seu ne proximus ulterius vexetur.

Confirm. quemadmodum malum est nocere proximo, ita honestum est à tali nocimento desistere, & proinde etiam sub illà ratione maleficus potest tendere ad destructionem signorum à se positorum.

Prob. 3.

Probatur 3. si maleficium sit notum iudici, is potest etiam grauibz pœnis propositis adigere maleficum, vt desinat proximo nocere, & ad hoc tenetur maleficus; non potest autem desinere nocere aliter, quàm ablatione & destructione signorum, ergo potest auferre signa, vt cesset nocere proximo, & iniuriam inferre. hanc conclusionem fufius probatam videre licet apud Delrio suprà.

187.

Coroll. 1.

Ex his patet 1. ipsum maleficum posse licitè & meritorie auferre signa à se posita, siue illa posuerit intercedente duplici pacto, siue vno simplici. quia etiam dum duplex pactum intercessit, non tenetur destruere signa adigendo dæmonem, vt non noceat (quod est illicitum, & continet commercium cum dæmone) nec tenetur operari ex vi posterioris pacti, sed potest solum operari ad destructionem prioris pacti cum dæmone initi, quo scilicet conuētum erat, vt diabolus noceret quamdiu signa permanerent, vt scilicet non sit ulterius proximo iniurius, in quo nulla submissio erga dæmonem inuenitur, nec censetur vllus honos illi deferri, nec censetur quæri eius amicitia, sed potius dissolui, cum id tendat ad destructionem pacti cum dæmone.

188.

Coroll. 2.

Patet 2. vnumquemque posse petere à malefico, vt tollat hæc signa, quò desinat proximo nocere, & vt proximus à malo liberetur. quod enim maleficus potest licitè facere, potest licitè rogari, immò potest ad hoc excitari etiam proposità pecunià, quod etiam verum est, quamuis maleficus putetur maleficio sublaturus; si enim maleficium possit tolli medio licito (vt in præsentis posse suppono) idque sit notum malefico, potest ab eo peti, vt tollat maleficium, quamuis putetur maleficio vsurus, quia sine peccato fieri potest, & de cætero grauamen cogit ad talem actionem petendam, & proinde petens non censetur cooperari alterius peccato. videri potest Lessius suprà numero 46. Sanchez libr. 2. in decalogum cap. 41. num. 13.

189.

Coroll. 3.

Patet 3. quemlibet alium scientem, vbi sint signa, vel quâ ratione diabolus per ea noceat, posse ea destruere, vel tollere, posse etiam nescientem vbi sint, petere à malefico, qui ea posuit, num nocumentum inferatur per signum, & vbinam sit, quod etiam verum est, quamuis ex priori pacto dæmonis cum malefico imminet damnum ipsi malefico, si auferantur: cum tertius auferens signa nec damnum inferat, nec intendat, sed solum velit sibi, vel alteri consulere.

190.

Obiectio. 1.

Obijciatur 1. dæmon parum curat signa, vnde qui ea destruit spe sanitatis, videtur ex pacto sanitatem ab illo expectare.

Resp.

Resp. neg. posteriorem partem assumpti: nam quamuis sciamus dæmonem non ita alligari signis, quin Deo permittente possit multis modis absque illis humano generi nocere: constat tamen desinere nocere illis sublati, quod licet proveniat ex priori pacto: is tamen, qui signa destruit isti pacto non se immiscet, sed suâ notitiâ vitur ad suum, vel alterius damnum auertendum, quod ex dictis patet non esse peccatum: quemadmodum nec est peccatum sibi persuadere dæmonem sublati si-

gnis cessaturum ab inferendo damno: & quamuis per se loquendo, illa parum curet, nihilominus eis sublati desinit nocere, vt videatur fidelis, & malefici illi adhareant, fortè etiam Deus non permittit illum hominibus quomodocumque nocere.

Nec verum est destruentem, vel tollentem signa perinde se habere, ac si diabolus diceret: pactus es amoto signo te cessaturum à nocimento, igitur me signum amouente præsta, quod promissisti: non, inquam ita se habet, sed sciens cessaturum, spe cessationis tollit signum, potiusque censetur ita se habere, ac si diceret: pactum à te cum mago initum rescindo, & signa ad nocendum instituta destruo, & proinde non est, quod amplius noceas.

Obijciatur 2. effectus hic non potest aliunde expectari, quàm à diabolo.

Resp. non esse illicitum expectare à diabolo effectum priuatiuum, si absque pacto, & amicitia cum illo.

Confirm. quia alioquin sequeretur hominem, qui certo loco vexatur à diabolo, non posse ex eo discedere, si sciret se alibi non vexandum, quod est nimis durum.

Obijciatur 3. non solum res, quæ ponitur, est signum diaboli, sed etiam actio, & amotio.

Resp. neg. assumptum, pro secundâ parte: inde enim sequeretur quòd ne quidem in detestationem magicæ superstitionis liceret signa magica tollere, quod est contra veritatem, & communem sensum.

Sequela probatur, quia etiam ex tali amotione reipia sequitur, quòd diabolus desinat nocere, & per consequens dicenda esset signum diaboli. amotio ergo signi tum demum censenda est signum diaboli, quando ex eâ necessitatur ab homine ad non nocendum, quia id fieri non potest sine pacto, aliàs non est signum sed potius destructio signi.

Obijciatur 4. si liceat hæc signa amouere, homo ad hoc tenebitur ad sanitatem procurandam, quando non suppetit aliud medium humanum: immò tenebitur ad id implorare opem malefici.

Resp. id nullum absurdum continere, neque potest contrarium colligi ex eo quòd ij, qui nobiscum sentiunt, non meminerint huius obligationis, sufficit quòd eam apertè non negent; aliqui etiam non posuerunt, quod tanquam manifestum relinquerent.

Adde tamen posteriores aliquos ad docere. vide Lessium dubit. citatâ, responsione ad 7. & Delrio respons. ad 8. Certè si maleficus relinquens signa semper peccat, & iniuriam continuat, sequitur eum ex iustitiâ tenei illa auferre, vt nocere desinat, æger potest ad id obligari ex charitate erga se.

Obijciatur 5. ex nostrâ sententiâ sequi illos iudices rectè facere, qui maleficis ad questionem adductis abradunt omnes corporis pilos, ne redantur insensibiles, quod videtur superstitiosum.

Resp. neg. esse superstitiosum, si fiat debitè circumstantijs, vt docet Delrio suprà respons. ad 9. & ne lateat aliquod signum sub his occultatum. Victor. qui citatur relectione 12. seu de magia numero 16. nihil facit ad præsens institutum, cum loquatur de expulsiōe dæmonis ex energumeno per gratiam gratis datam, ad quam expulsionem nihil facit rasura pilorum.

Obijciatur

195. Obiectio 6. Obijcitur 6. can. ult. 33. quaest. 1. nulla huius remedij ad tollendum maleficium fit mentio, cum tamen non debuisset praeteriri.

Resp. non est mirum si praeteratur, cum ibi solum agatur de remedij diuinis, & Ecclesiasticis, non vero de humano, & naturali.

196. Adde veteres, qui hoc medium non damnarunt, videri tacite illud approbasse, cum summa diligentia damnarint superstitiones, & non potuerint ignorare huiusmodi signa posita a maleficis, inuenta consueuisse destrui, vel auferri.

Obijcitur 7. Hieron. in vita S. Hilarionis refert, quod cum ad illum adducta esset puella a demone obsessa, & demon clamaret se inuitum ad puellam obsidendam venisse, vt pote vi maleficiorum coactum, nec se posse eam relinquere, nisi prius ablatis signis sub limine positis, vetuit vir sanctus signa perquiri, & orationis virtute demonem expulsi, addidit Hieron. Ne aut solus incantationibus recessisse demon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem; igitur ex horum Patrum sententia non licet tollere signa magica ad valetudinem recuperandam.

Resp. neg. consequentiam, nam factum Hilarionis non ostendit cum sensisse id secundum se illicitum, sed quod non iudicaret sibi faciendum propter eorum, qui aderant, adificationem, & quod iudicaret futurum ex maiori Dei gloria, si non subtractione signorum, sed oratione demon expelleretur.

197. Adde Hieron. dicentem: Ne aut solus incantationibus recessisse demon videretur, satis insinuare id ex se non esse superstitiosum, alioquin plane dixisset id esse illicitum, & magicum.

Petio. Petes, an liceat aliquam actionem positiuam adhibere, qua posita scitur demonem cessaturum a nocumento?

Resp. licere, si actio sit saltem ex se indifferens. ita expressit Suarez supra num. 16. Lessius num. 45. Sanchez in decalogum supra num. 25. plerique alij id non distincte asserentes, non negant.

Probatur, ex communi sententia licet signum amouere spe cessationis nocumenti, ergo etiam ponere aliquid, ex quo scitur nocumentum cessaturum: quando enim deest pactum, quo demon obligetur ad non nocendum, id non est opus malefici, vt malefici, sed hominis vtentis sua scientia ad destructionem pacti diaboli, & vt sibi, vel proximo profit. vnde qui scit ligaturas non habituras vim, si quidpiam aliud iuxta illas ponatur, potest illic ponere spe cessationis nocumenti. Certè qui sunt contrariae sententiae, immerito miseros in angustias redigunt, dum putant nullo modo in praxi licere vti his medijs ad damnum, & nocumentum auerendum.

198. Coroll. Ex his patet quid dicendum ad quaestionem, cuius occasione haec sunt tractata, quod scilicet, quando maleficium consistit non in nuda actione transeunte, vel nudis verbis, sed in quibusdam signis, quibus sublati tollatur maleficium, id non censeri perpetuum, cum sine peccato arte humana tolli possit, & proinde impotentiam ad copulam inde ortam non censeri perpetuam, & quod est consequens, non dirimere matrimonium subsequens, vnde si cognosceretur maleficium consistere in ligaturis, vel similibus matrimonium non esse dissoluendum.

Si tamen ignoretur, quomodo sit illatum, post experimentum triennale est dissoluendum, quia in foro Ecclesiae iudicatur perpetuum iuxta cap. ult.

de frigidis, quod est intelligendum, quando ab initio coniunctionis apparet tale maleficium.

DVBIVM XXIII.

De ijs, quae iure requiruntur, vt matrimonium ratione impotentiae inualidum possit dissolui.

199. QVIA dissolutio matrimonij est res grauissima, in qua proinde summa debet adhiberi diligentia, ideo quando aliqua ratione potest dubitari de impotentia perpetua, Ecclesia certas probationes requirit, vt possit iudicari, an matrimonium sit ratione impotentiae irritum, & dissoluendum. vbi

Notandum, quod quando aperte constat de impotentia perpetua, non debeat praefigi tempus ad experiendum: quia constat de nullitate matrimonij, & proinde, partes non possunt licite inter se commisceri, neque possunt respectu sui inuicem illos actus venereos exercere, cum neuter habeat dominium corporis alterius in ordine ad generationem.

Constare vero potest de huiusmodi impotentia, si vir seclusus sit, qui non possit vas femineum penetrare, vel si membrum virile sit aridum, quod nullo modo possit ad copulam erigi; si ratione frigiditatis ab alio matrimonio sit separatus, & ex similibus signis euidentibus impotentiae. Si vna pars sit reddita impotens ex maleficio, non idcirco statim potest matrimonium dissolui, & declarari nullum, cum non possit facile iudicari maleficium esse perpetuum.

Aduerte si nullum subsit incontinentiae periculum, tales possunt cohabitare, sicut frater, & foror, vt patet ex cap. consultationi, de frigidis: si vero subsit morale periculum incontinentiae, debent se parari.

Si signa non sint plane euidentia, sint tamen verisimiliter euidentia, requiritur saltem, vt is, qui dicitur impotens, inspiciatur a peritis, qui si iudicauerint vere impotentem, accedente iuramento ipsorum, coniugum iurantium se non posse coire, item iuramento septimae manus propinquorum, vel in eorum defectum vicinorum iurantium se credere praedictos coniuges verum fateri, matrimonium potest solui, & declarari nullum, etiam ante triennium experientiae, vt docent varij auctores.

Si dubium sit de perpetuitate impotentiae, datur triennium ad experiendum bona fide, circa quod

200. Occurrit difficultas, an illud triennium sit necessarium, quando vterque coniux fatetur impotentiam, an vero solum, quando vno asserente alter negat?

201. Aliqui negant, asserentes sufficere tempus arbitrarium cum iuramento vtriusque coniugis & resoluunt septimae manus propinquorum, ita plures potissimum Canonistae, quos citat Sanchez libr. 7. diff. 108. num. 3.

Alij plurimi tum Theologi, tum Canonistae, Affim. alij, quos idem citat, & sequitur num. 5. tenent etiam hoc casu requiri experientiam triennij iuxta cap. laudabilem, de frigidis, vbi requiritur triennium, quando dubium est de frigiditate, neque quoad tempus limitatur ad casum, quo alter coniugum negat, sed eo casu peculiaris probatio requiritur

199.

Indicia certa impotentiae perpetuae.

Cap. Consultationi.

200.

201.

Difficultas.

Negatiue bitrarium cum iuramento vtriusque coniugis & resoluunt quidam.

Affim. alij, quos idem citat, & sequitur num. 5. tenent etiam hoc casu requiri experientiam triennij iuxta cap. laudabilem, de frigidis, vbi requiritur triennium, quando dubium est de frigiditate, neque quoad tempus limitatur ad casum, quo alter coniugum negat, sed eo casu peculiaris probatio requiritur

vltra

202.

Affirmat
Auctor.

ultra triennium, quæ non exigitur, quando uterque affirmat.

Hæc sententia videtur verior, quia iuramentum coniugum, & aliorum non facit signa verisimiliter euidencia, sed relinquit dubia: unde merito etiam in hoc casu intelligitur iuris decisio, ultra triennalem verò experientiam requiritur prædictum iuramentum coniugum, & aliorum, ut patet cap. *laudabilem*, citato, & tenent plurimi relati à Sanchez numer. 7. non tamen requiritur, ut coniuges inspiciantur, quia id nullo iure exigitur.

Si vna pars neget impotentiam, præter experientiam triennalem, ad dissolvendum matrimonium requiritur, ut mulier per adspæctum probet se virginem accedente iuramento septimæ manus propinquorum, ita varij intelligunt quod habeat cap. *laudabilem*, citato, quo elapso si nec tunc cohabitare voluerint, & iuxta decretum Gregorij mulier per iustum iudicium de viro probare poterit, quod cum eâ coire non possit, accipiat alium. ubi per iustum iudicium intelligunt hanc probationem cum prædicto iuramento, quod si mulier ante initum matrimonium fuerit ab alio cognita, eâ asserente viri impotentiam, viro autem negante, si veritas ex signis deprehendi non possit, potius credendum viro, & in fauorem matrimonij iudicandum. hæc, & similia, quæ potissimum ad fori externum pertinent, videri possunt apud Sanchez disp. citatâ & sequentibus.

203.

Vnde sumi
debet triennium
experientie.

Cap. *laudabilem*.

Porro triennium, quod præfigitur, & post quod potest dissolui matrimonium, si non appareat de potentiâ coeundi, sumendum est à tempore copulæ tentatæ, non verò necessariò debet à iudice assignari, siue impotentia procedat ex maleficio, siue aliunde. colligi potest ex cap. *laudabilem*, citato, & ex cap. ult. eodem titulo, intra quod tempus copulam carnalem moraliter loquendo sæpius experiantur.

Id verò in plenè puberibus locum habet: nam in ijs qui ante plenam adeptam pubertatem matrimonio iuncti sunt, existente dubio de impotentia, triennium videtur inchoandum à tempore copulæ intentatæ post plenam pubertatem, id est, viro post annum decimum octauum; quia ante illud tempus impotentia præsumi potest ex debilitate nature proueniente ex minori ætate, quæ proinde accedente ætate tolli possit.

204.

Notandum si matrimonio dissoluto pars, quæ putabatur impotens, exercuerit actum conjugalem cum aliâ non multum dissimilis conditionis, iudicari prius matrimonium substituisse, & partes sibi inuicem restituendas. vide cap. *laudabilem*, citatum, quod licet videatur loqui vniuersaliter: tamen est intelligendum, quando non est notabilis inæqualitas inter priorem, & posteriorem virum, item inter feminam prius iunctam matrimonio, & eam, quæ postmodum est cognita.

His explicatis de impedimentis dirimentibus matrimonium, restat pauca annotemus de solum impedimentibus, itaque.

DV BIVM XXIV.

De causis, quæ impediunt quò minus matrimonium licite iniri possit, non tamen dirimunt contractum.

EX dictis in hoc tractatu facile patet matrimonium non posse licite iniri à Christianis in peccato mortali existentibus, cum sit Sacramentum viuorum, quod per se loquendo, requirit statum gratiæ in recipiente.

2. non potest contrahi contra iustam prohibitionem superioris, v. g. Episcopi, iudicis, vel etiam pastoris, ut cum rationabiliter dubitatur de impedimento.

3. constat etiam sponsalia valide contracta cum aliquâ obstat quò minus matrimonium licite contrahatur cum aliâ, antequam ea legitime soluantur.

4. qui vouit perpetuam castitatem, ingressum religionis, susceptionem ordinis sacri, non potest matrimonium licite contrahere ante legitimam voti relaxationem.

5. solemnitas nuptiarum certis temporibus prohibetur, scilicet ab aduentu vsque ad diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ cinerum vsque ad octauam Paschæ inclusiue, videri potest Trid. sess. 24. cap. 10. de reformatione matrimonij, & dictâ quæst. 4. ab 16. versus finem.

6. ligatus excommunicatione maiori, vel minori non potest sicut matrimonium contrahere, cum ratione huius censuræ priuatur perceptione Sacramentorum.

Difficultas verò oritur, num peccet is, qui cum tali excommunicato contrahit, sciens eius excommunicationem.

Suppono futurum peccatum, si ille sit denunciatus, vel publicus clerici percussor, sed quod vnusquisque teneatur talem evitare: & quidem in hac materiâ, utpote grauissimâ, sub peccato mortali; quæstio est de excommunicato tolerato, plerique censent etiam contrahentem cum illo mortaliter peccare.

Notandum peccatum hoc posse prouenire vel ex eo quod violetur censura, vel ex eo quod is, qui contrahit cum excommunicato tolerato, cooperetur alterius peccato, cum excommunicatus peccet contrahendo. Ex priore capite nullum incurritur peccatum: quia vnusquisque potest absque violatione censuræ communicare cum excommunicato tolerato, ut post Concilium Constantinense communis tradunt Doctores.

Non videtur etiam committi peccatum propter cooperationem cum peccato excommunicati: quamuis enim excommunicatus etiam existens in statu gratiæ prohibeatur ratione censuræ Sacramentum matrimonij suscipere: tamen pars, cui ex varijs capitibus potest esse vtile matrimoniale contractum cum tali celebrare, potest sine peccato contrahere, nec est censenda cooperari peccato alterius, si subsistente iustâ causâ inear contractum, ad quem potest alter sine peccato concurrere, quamuis non sit reipsa sine peccato facturus.

Ex quibus patet, quod si excommunicatus possit obtinere absolutionem censuræ, quamuis nolit reipsa obtinere, & recedere à peccato, alius potest sine peccato cum illo matrimonium inire: cum possit

possit Sacramentum sine peccato recipere, & perficere contrahendum: immo si magni referat contrahendum matrimonij iniuri cum tali, potest ad id induci, & inuitari.

Sed an peccet contra propriam censuram, qui inducitur?

Resp. peccare, quia alterius inductio nullam imponit necessitatem contrahendi & suscipiendi Sacramentum, sed liberè contrahit, & in sui gratiam Sacramentum suscipit, à quo ratione censuræ arceatur.

Ex dictis potest patere resolutio quæstionis, num pastor possit interesse matrimonio sui parochiani excommunicati tolerati, quem non potest inducere ad petendam absolutionem ab excommunicatione, vel ad recedendum à statu, propter quem excommunicatur. Dicendum enim posse, si non sit denuntiatus, & inter sit compatis matrimonij iniuri: quia cum sacerdos non sit minister huius Sacramenti, ut in superioribus cum communi sententiâ docuimus, pastor non peccat ex eo capite quod Sacramentum indigno ministret. 2. cum excommunicatus ex supposito sit toleratus, non peccat etiam contra censuram conuersando cum illo. 3. cum verò iusta subsit causa suam præsentiam exhibendi, scilicet in gratiam alterius, cuius interest matrimonium perfici, non peccat cooperando peccato illius, qui in excommunicatione matrimonium contrahit. Immo puto posse subesse tam grauem, & iustam causam ex parte alius, ut pastor non possit abique peccato suam præsentiam denegare.

Petes, an pastor eo casu possit benedictionem nuptialem impendere?

Resp. non posse, quia talis benedictio sit nomine Ecclesiæ, & cum precibus ab eâ instituta, quibus, earumque fructu Ecclesia intendit excommunicatum priuare.

Ex his facile etiam patet resolutio quæstionis, num pastor possit assistere matrimonio sui parochiani publici vñarij (quem non potest ab eo statu reuocare) cuius matrimonium propter periculum infamie indicatur puellæ necessarium.

Resp. enim posse, immo & teneri, quia puella iustam habet causam contractus perficiendi, ad cuius valorem præsentia pastoris est necessaria.

Difficultas est, num interdictum obstat, quod minus matrimonium licitè iniuri possit.

Negant plerique, quos refert & sequitur Sanchez lib. 7. disputat. 8. num. 2. Nauar. cap. 27. num. 179. Henriquez lib. 11. cap. 16. num. 2. in commentario litteræ S. & alibi, Sa verbo *interdictum* num. 17. quæ sententia propter Doctorum authoritatem est probabilis, & in praxi secura, quam Sanchez num. sequentibus intelligit etiam de interdicto speciali personali, & locali.

Verum si rem secundum iuris dispositionem consideremus, probabilius videtur, quod docet Suarez tomo 5. in 3. partem disp. 33. sect. 1. num. 51. & sequentibus, scilicet non licere contrahere matrimonium personæ interdictæ, vel in loco specialiter, vel generaliter interdictæ.

Probat ex cap. *responsa*, de sententiâ excommunicationis, ubi dicitur tempore interdicti vniuersa Sacramenta Ecclesiastica interdicta, & cap. *si sententia*, eodem titulo, in 6. dicitur: cum alicuius terra populus interdictus notatur, singulares ex eo persona, quas interdictas esse constat, non

debent alicui audire divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.

Consimilia habentur cap. *almamater*, ibidem, ex quibus patet, quod in interdicto etiam generali locali, vel personali nulla possint recipi Sacramenta, iis exceptis, quæ ius excipit cap. citatis; nullibi autem excipitur Sacramentum matrimonij.

Dices non excipi in iure, quod tanquam notum supponatur.

Resp. neg. id supponi, & dico in illâ generali prohibitione contineri etiam Sacramentum matrimonij, sicut omnium sententiâ continetur in generali prohibitione, quâ excommunicatus prohibetur Sacramenta recipere. cur enim hic potius sit exceptio sine iure, quam ibi?

Dices, cap. *capellanus*, de ferijs, videtur discerni, quod matrimonia possint licitè celebrari omni tempore præter tempora ibi enumerata.

Resp. 1. si argumentum aliquid concludat, dicendum posse celebrari ab excommunicato: quod tamen non conceditur.

Respondeo 2. Pontificem solum velle id licere, si nullum aliud canonicum impedimentum intercedat.

Aduerte, etiam posita priori sententiâ, nuptias non posse benedici in interdicto locali, vel personali, cum hæc benedictio inter diuina officia computari debeat, quæ verantur celebrari tempore interdicti, exceptis festis, quibus per cap. *almamater*, suspenditur interdictum: tunc enim benedici possunt, nisi aliud obstat impedimentum.

7. Ex catechismo in baptismo oritur impedimentum impediens matrimonium inter certas personas. patet ex cap. *per catechismum*, de cognitione spirituali, in 6. ex quo Doctores communiter colligunt impedimentum impediens contrahi inter easdem personas, inter quas contrahitur impedimentum dirimens ratione baptismi, de quibus supra dub. 6. & quamuis aliqui sentiant illud impedimentum oriri ex solo catechismo præcedente baptismum; alij tamen probabilius censent etiam contrahi ex eo, qui interdum sequitur baptismum completum quoad substantialia.

Aduerte probabile esse hoc impedimentum sublatum esse per Trident. sess. 24. cap. 2. de reformatione matrimonij, atque adeo illud non contrahi, ubi Trident. receptum est: alibi tamen contrahitur, nisi consuetudine sit sublatum.

Præter hæc varia crimina impediunt matrimonium licitè iniuri.

1. est raptus sponsæ alienæ can. *statutum*, 27. quæst. 2. siue ea sit corrupta, siue non, siue sponsa de præsentia, siue de futuro. eodem can. etiam statuitur ut si illa consenserit, impediatur à nuptiis contrahendis cum quolibet alio, scilicet præterquam sponso.

2. est occisio sacerdotis cap. *qui presbyterum*, de penitentis, & remissionibus. Notant verò aliqui Doctores, ut hoc crimen impediatur matrimonium contrahendum, requiri, ut occisor sit coniunctus de crimine, quod etiam patet ex textu, cum verò coniunctum esse, designet coniunctum esse in iudicio, alia notitia non sufficeret ad hoc impedimentum inducendum. neque etiam inducetur, si quis solum diaconum occiderit, quia cap. citato solius presbyteri fit mentio.

Cap. *almamater*.

212.

Obiectio.

Resp.

Replica ex cap. *capellanus*.

Resp.

213.

Benedictio inter diuina officia computatur.

214.

Cap. *per catechismum*.

215.

Probabiliter hoc impedimentum sublatum est per Trid.

Can. *Anstetum*.

Cap. *qui presbyterum*.

3. est matrimonium scienter cum moniali contraxisse, can. *bi ergo*, 27. quæst. 1.

4. est susceptio proprii filij de fonte, animo insidiandi matrimonio, id est priuandi coniugem debito coniugali, can. *de eo*, 30. quæst. 1. vbi.

Can. de eo.
216.

Notandum id non habere locum, quando solutus leuat proprium filium de fonte, quem fortè ex fornicatione habuit, vel si vxor iam obierit, quia talis nō potest dici suscipere in disidiū cōiugij, seu, vt coniugem fraudet iure coniugali. 2. non habere locum quando is, qui suscipitur, non est etiam filius coniugis, quia constat inde nullam inter coniuges oriri cognationem spiritualement, ratione cuius posset aliquis nolle debitum compartiri reddere. requiritur ergo, vt coniugatus communem prolem suscipiat eā intentione, vt disidium coniugij fiat, & proinde si quis tali actu non velit insidiari matrimonio, non impeditur quod minus post mortem coniugis licitè possit aliud matrimonium inire.

Quod dictum est de tenente, Doctores communiter intelligunt etiam de baptizante extra necessitatem, & de tenente in Confirmatione propter rationis identitatem, quamuis absque textu.

Can. interfectores.
Can. quicumque.
Can. admonere.
Henric.
Rebell.
Sanchez.

5. est vxoricidium can. *interfectores*. can. *quicumque*, can. *admonere*, 33. quæst. 2. quod etiam plerique intelligunt de eo, qui deprehensam in adulterio propriā auctoritate occidit. Henriquez lib. 12. cap. 2. num. 1. Rebellius lib. 18. de vxoricidio, Sanchez lib. 7. disputat. 16. num. 2. qui plures citat, idque potest colligi ex can. *quicumque*, citato, vbi dicitur: *qui absque certā probatione interfecerit*.

217.
Petitio.
Henric.
Rebell.
Nauarr.
Tolet.
Sa.
Sanchez.
Resolutio
Auctoris.

Petes, an idem sit dicendum de vxore virum occidente? Afferunt Henriquez, Rebellius suprà, Nauarr. cap. 22. num. 74. & alij. Negat Toletus lib. 7. cap. 15. num. 3. Sa de impedimentis matrimonij non dirimentibus num. 6. & alij quos citat & sequitur Sanchez disp. citatā, num. 6. quæ sententia est probabilior, quia id neque iure disponitur, neque ratio legis ita locum habet in forminā, quæ non est ita prepa ad virum interficiendum.

218.

Cap. transmissa.

6. est incestus commissus cum consanguineā vxoris, cap. 1. & cap. *transmissa*, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ, vel sponsæ, idem etiam statuitur de incestu commissio cū consanguineā sponsæ, cap. *veniens* eodem titulo, inque si quis copulam carnalē habuerit cum sorore vxoris suæ, vxore defunctā non potest licitè aliud matrimonium inire, similiter si carnaliter cognouerit matrem, vel sororem sponsæ de futuro, immodò Toletus lib. 5. cap. 12. num. 4. addit eum, qui cognouit consanguineam eius, cum quā est fornicatus, ex can. *si quis cum duabus*, & can. *si quis cum matre*, 34. q. 2. vbi.

Can. si quis cum duabus.
Can. si quis cum matre.

Notandum non solum prohiberi coniugi incestuoso inire aliud matrimonium, sed etiam consanguineis vxoris, cum quibus incestus est commissus, dicto can. *si quis cum matre*, & cap. 1. de eo, qui cognouit &c.

219.

Cum hoc impedimentum imponatur per modum pœne ratione iniuriæ in matrimonium commissæ, si quis nesciat eam, quam cognoscit, esse consanguineam vxoris, si saltem inaduertentia sit inculpabilis, non contrahet hoc impedimentum, quia non committit formaliter incestum, neque propterea ex iuris dispositione fit affinis vxori.

Præterea cum hoc impedimentum oriatur ex affinitate contractā cum vxore, ad quam requiritur copula apta ad consummandum matrimonium, si quis non seminauerit in vase naturali eius, quam cognouit, non contrahet hoc impedimentum.

Petit 1. an contrahatur, si incestus sit occultus.

Resp. verius esse contrahi; quia textus non distinguunt, & constat etiam propter occultum incestum contrahi affinitatem cum vxore.

Petit 2. an id solum habeat locum in eo, qui viuā vxore eius consanguineam cognoscit? Afferunt Henriquez suprà, & Sa num. 7.

Resp. negatiue: quia cap. *transmissa*, citato id. decernitur de eo, qui vxore defunctā incestum commiserat.

Petit 3. an incestuosus matrimonium reipsā contrahens possit debitum coniugale a comparte petere?

Resp. non posse: decernitur eodem cap. *transmissa*.

Petit 4. vsque ad quod gradum incestus matrimonium impedit? textus allegati solius primi gradus mentionē faciunt, immò solum agunt de primo gradu in lineā rectā: Doctores tamen communiter censent hoc impedimentum oriri ex omni incestu pariente affinitatem vel publicam honestatem, dirimentem matrimonium inter huiusmodi affines & idcirco oriri, si quis cognoscat carnaliter cognatā vxoris suæ etiā in 4. gradu, vel etiam sponsæ, vbi Trid. non est receptum; vbi verò receptum est, solum oriri impedimentum, si cognoscat consanguineam sponsæ in primo gradu: quia impedimentum publicæ honestatis per Trid. restringitur ad primum gradum, vel si cognoscatur consanguineam vxoris in secundo gradu: quia affinitas ex fornicatione orta per idem Trident. restringitur ad secundum gradum, & tenet Sa num. 7. citato, Sanchez disp. citatā, num. 4. quamuis aliqui quoad posterius contrarium teneant.

Petit 5. verum hoc impedimentum oriatur, si vir cognoscat propriam consanguineam? Afferunt multi, quos citat Sanchez disp. citatā, num. 15. Sed negant plures, quos sequitur num. 16. Toletus lib. 5. cap. 12. num. 4. Sa num. 7. citato, Lessius lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 81. Rebellius suprà num. 13. quod est probabilius: quia textus solum agunt de eo, qui cognoscit consanguineam vxoris.

Confirmari potest ex ratione legis, quod videlicet hoc impedimentum imponatur in penam affinitatis ortæ cum vxore; nulla autem oritur affinitas respectu vxoris, quando quis cognoscit propriam consanguineam.

Dices stylium curiæ Romanæ habere, cum dispensatur cum consanguineis, vt inter se contrahant, vt apponatur clausula: *altero eorum defuncto superstes aliud matrimonium non ineat*.

Resp. aliquos sentire id in conscientia non obligare, cum sit clausula ordinariā: vide Lessium suprà. Dicit etiam potest, quod Pontifex id grauius possit imponere, quamuis ex iure non oriatur. Quod si olim cognoscens propriam consanguineam prohibebatur aliud matrimonium inire, id oriebatur ratione publicæ penitentiae, quæ, quamdiu durabat, impediēbat, quod minus matrimonium licitè iniretur, non verò præcisè ratione incestus.

Petit 6. an dicta habeant etiam locū in vxore committente incestum cum consanguineis viri?

Resp. affirmatiue. licet enim textus solum

faciant mentionem incestus viri: cum tamen ratio legis æquè locum habeat in femina, quæ æquè frequenter potest incestum committere, atque vir, quod disponitur de vno etiam intelligitur dispositum de alio. & ita expresse docent multi, neque vllus videtur negare.

Aduerte, si quis matrimonium contrahat cum huiusmodi impedimentis, si quidem vim suam retineant, peccatum mortale committere, vt patet ex gravitate materiæ: Episcopus tamen potest dispensare in impedimento orto ex catechismo, item ex criminibus enumeratis, vt Sa supra num. 11. Nau. cap. 22. num. 85. Caiet. verbo *matrimonium* cap. 1. num. 27. Henriquez cap. 2. citato num. 2. & plures alij. Immo consuetudo videtur obtinuisse, vt ea dispensatio non sit necessaria. videri potest Sa num. 51. citato, Lessius num. 82. citato in fine, Nauacri. cap. citato num. 75. Sanchez disp. 17. nu. 8. & alij, atque adeo nullum erit peccatum cum istis impedimentis matrimonium inire.

QVÆSTIO VIII.

De dispensatione in impedimentis matrimonij.

DVBIVM I.

An summus Pontifex possit dispensare in impedimentis iure naturæ matrimonij dirimentibus?

1. TA videntur aliqui sentire, qui censent consanguinitatem in primo gradu collateralis obstat iure naturæ validitati matrimonij, & tamen Pontificem posse dispensare, vt frater & soror matrimonium simul contrahant.

Sed omnino dicendum Pontificem in nullo impedimento iuris naturæ posse dispensare, excepto eo, quod ortum habet ex humana voluntate: quod addo quia etiam si dicamus professionem iure naturæ matrimonium dirimere, adhuc probabiliter potest sustineri Pontificem etiam in eo dispensare posse, vt videlicet matrimonium ab eo, qui professus est possit contrahi. eo ergo excepto, ostenditur de reliquis.

Impedimenta matrimonium dirimentia sunt error, quidam consanguinitatis gradus, ligamen, impotentia ad copulam, & quorundam sententiæ conditio, & primus gradus affinitatis in linea recta; constat Pontificem non posse dispensare in impedimento erroris: is enim matrimonium dirimit, quia tollit consensum respectu personæ, cum quæ videtur iniri contractus; atqui Pontifex non potest facere, vt contractus validè ineat sine consensu, cum ad eius essentiam pertineat. propter quam rationem nec potest dispensare in impedimento conditionis seruilis, si ea ex iure naturæ matrimonium dirimat: ideo enim dicitur dirimere iure naturæ, quod tollat consensum.

3. Idem ostenditur de impedimento impotentie. ideo impotentia iure naturæ matrimonium dirimit, quod nullus possit dominium corporis sui tradere ad id, cuius est incapax, cum eo casu sit defectus materiæ circa quam contractus matri-

monialis, qui defectus non potest tolli per dispensationem Pontificiam. 3. Pontifex non potest propriâ autoritate dispensare, vt qui habet vnam uxorem, eâ viuâ, & remanente vxore legitimâ, aliam ducat.

Certum etiam est id nõ posse potestate à Christo acceptâ, cum Ecclesia nunquam permiserit alicui simul habere plures vxores.

Confir. etiam si plures ethnici possent conuerti si eis permitteretur retinere plures vxores, idque videretur facere ad fidei dilationem: hæc tamen nunquam Ecclesia id tolerauit, sed semper curauit, vt conuersi vel retentâ primâ, cum qua legitimè contraxerant, vel saltem vnâ quam liberet, alias dimitterent, ergo signum est Ecclesiam iudicare non esse sibi concessam à Christo potestatem dispensandi in pluralitate vxorum.

Idem sit iudicium de gradibus iure naturæ matrimonium dirimentibus.

Confir. ij gradus dirimunt matrimonium propter naturalem reuerentiam, quam sibi mutuo debent personæ in iis coniunctæ; Pontifex autem non potest facere, vt hæc reuerentia tollatur, neque potest tollere ius vnus respectu alterius, in quo fundatur hoc impedimentum, ergo non potest facere suâ dispensatione, vt tale matrimonium subsistat, nec vllum est vestigium concessionis Christi factæ Pontifici circa hoc impedimentum.

Quod dico de impedimento iuris naturæ, dico etiam de impedimento iuris diuini positui si quod sit, quia non apparet Pontifici datam potestatem dispensandi in tali impedimento.

DVBIVM II.

Quis possit dispensare in impedimentis dirimentibus humano iure introductis?

EX dictis initio præcedentis quæstionis constat nullum præter summum Pontificem, vel Concilium generale posse hæc impedimenta constituere: quæuis enim olim aliqua in Concilijs particularibus introducta sunt: ea tamen nunquam vim obtinuerunt pro vniuersâ Ecclesiâ, antequam à Concilio generali, vel Pontifice confirmarentur, & totius Ecclesiæ cõsuetudine reciperentur: postmodum verò huiusmodi impedimenta instituere referuatum est summo Pontifici, vel Concilio generali, tanquam aliquid grauissimum ad totius Ecclesiæ regimen spectans, & proinde Episcopi ne quidem pro sua diocesi, vel Prouincialia Concilia pro suâ prouinciâ hæc impedimenta possunt constituere. hoc prænotato

Resp. solum summum Pontificem posse ordinariâ potestate in his impedimentis dispensare, quod is possit dispensare, patet ex eo quod is possit dispensare in lege, qui eam tulit, quiq; tollere & mutare potest. quod autem solus possit ordinariâ potestate, patet ex eo quod inferior suâ autoritate non possit dispensare in lege superioris.

Vnde infertur Episcopum in suâ diocesi non posse ordinariè dispensare in iis impedimentis, nec etiam id posse legatum Apostolicum intra terminos suæ legationis, nisi speciali privilegio sit, ei à Pontifice concessum: quia recepta est Doctorum sententia legatum Apostolicum ex vi

Confir. ex praxi Ecclesiæ.

Episcopi ne quidem pro sua diocesi, nec Concilia Prouincialia pro suâ prouinciâ possunt impedimenta constituere.

Coroll.

Legatus Apostolicus
vi suum
neris non
plus potest
in dispensa-
tionibus in
terminis
sua legationis,
quâ
Episcopi in
sua diocesi.
6.
Obiectio
ex Trid.

sui muneris, & seclis particularibus concessio-
nibus ipsi factis, non plus posse circa dispensatio-
nes in terminis suæ legationis, quàm Episcopus in
sua diocesi. unde citra privilegia non tantum non
potest dispensare generaliter, sed nec in aliquo
impedimento.

Dices Episcopos in sua diocesi, & legatos in ter-
minis suæ legationis videri posse dispensare in im-
pedimento consanguinitatis, & affinitatis iuxta
Trid. sess. 24. cap. 5. de reformatione matrimonij,
ubi Conciliū permittit certis conditionibus dis-
pensationem in gradibus prohibitis, non explicans
à quo hæc dispensatio fieri possit, atque ita censetur
concedere facultatem Episcopo, cum alioquin
permisso nihil operaretur.

Confirm. Concilium etiam generale non po-
test summo Pontifici præscribere, quibus condi-
tionibus possit dispensare, cum ergo prædicto ca-
pite id fiat, apparet per illud dari Episcopis pote-
statem dispensandi.

Resp.

Resp. neg. assumptum. Ad probationem Resp.
neg. Episcopis competere facultatem, de qua ibi
est sermo, quod patet ex ipsa Ecclesiæ praxi: nul-
lus enim ordinariè recurrit ad Episcopos pro im-
petrandâ dispensatione in gradibus prohibitis. unde
dico Concil. eo loco non permittit dispensatio-
nem, sed tacitè rogare summum Pontificem, ut
ipsi, quæ in prædicto cap. ponuntur, sese velit con-
formare, non faciliè dispensando, nisi conditiones
ibi requisitæ inueniantur in petentibus dispensa-
tionem. Ex quibus patet responsio ad confirma-
tionem, quod scilicet Concilium nullas imponat
conditiones Pontifici, tanquam superior; & ta-
men illud caput aliquid operetur, quia operatur
per modum supplicationis ipsi summo Pontifici
factæ.

7.

Potest Episcopus
competere fa-
cultas dispen-
sandi consue-
tudine, vel præ-
scriptione.

Si cui Episcopo ex consuetudine, vel præscrip-
tione competat dispensare subsistente iustâ cau-
sâ, licitè, & validè faciet: puto tamen in paucis
omnino esse consuetudinem, nec faciliè debent
Episcopi dispensare citra urgentem necessitatem,
nisi illis constet hanc potestatem consuetudine, vel
privilegio sibi competere.

8.
Quibus ca-
sibus potest
Episcopus
dispensare.

Dixi Episcopum non posse ordinariè dispensa-
re in his impedimentis, quia in casu valde raro
multorum sententiâ potest dispensare certis con-
ditionibus concurrentibus.

1. est, si impedimentum sit occultum, quod
non potest sine notabili infamiâ, aut periculo gra-
uioris mali propalari, verbi gratia si proveniat ex
eo quod vir matrem, vel sororem alicuius forni-
cariè cognovit, ex quo factus est illi affinis.

2. Si matrimonium in facie Ecclesiæ sit con-
tractum, ita ut ab Ecclesiâ præsumatur validum.

3. Si separatio sit futura difficilis, ut quia vel
unica pars novit impedimentum, quod vel non
poterit probare in iudicio, vel saltem propter gra-
ue periculum propriæ, vel alienæ famæ non tene-
tur extra confessionem reuelare, vel etiam si utra-
que pars illud nouerit, non potest tamen pro-
bare.

4. Si sit difficilis recursus ad Pontificem. ut si
Ioannes acceperit Annam in uxorem in facie Ec-
clesiæ cum impedimento dirimente occulto,
quod non faciliè possit in aliorum notitiam vene-
re, possitque difficulter matrimonium dissolui, eo
quod vel ille vnus sciat impedimentum, quod pro-
bare non poterit in iudicio, vel saltem non tene-
tur extra confessionem propalare, & difficulter
possit adiri Pontifex, verbi gratia ob paupertatem,

vel aliam causam. Episcopus potest dispensare, ut
partes validè contrahant, si saltem quedam alie
conditiones adsint, de quibus paulò post. ita te-
nent Syluest. verbo *dispensatio*, quæst. 9. §. 15. Fu-
mus, eodem verbo num. 20. Nauarr. cap. 22.
num. 85. Henriquez lib. 12. cap. 3. num. 2. addens
usu multorum Episcoporum confirmari, Sanchez
lib. 2. disp. 40. num. 3. Vasquez tomo 2. in 1. 2. §. 15.
disp. 178. cap. 2. in fine, & alij.

Probatur, Episcopi ex causâ grauissimâ possunt
dispensare in lege Pontificiâ quando non est faci-
lis recursus ad Pontificem, ut in variis materijs do-
cent plures authores; quidni ergo poterunt in cir-
cumstantiis relatis dispensare in impedimento di-
rimente?

2. dispensatio in impedimentis dirimentibus
matrimonium non debet ita strictè reservari Pon-
tifici, ut inferiores circa illam nihil possint, etiam
quo casu sit ad salutem animarum summè necessa-
ria, & ad impediendum scandalum, cum in tali
circumstantiâ sit magis ex bono publico Episco-
pum posse dispensare, quàm non posse, ergo di-
cendum est posse ex tacitâ Pontificis licentiâ, qui
non videtur velle generari graua scandala, vel
animas illaqueare perpetuâ fornicatione, vel in-
curri notabilem infamiam; sequeretur autem ali-
quod illorum, si Episcopus non posset in eo casu
dispensare: nam vel oriretur grauis populi per-
turbatio, si matrimonium communi opinione va-
lidum nullâ allatâ causâ dissolueretur, vel par-
tes non valentes probare impedimentum coge-
reantur cohabitare cum manifesto incontinentiz
periculo, vel interdum impedimentum non posset
declari abique infamiâ eius, cuius culpa con-
tractum est.

Ad augendam dispensationis causam accede-
re potest, quod proles ex matrimonio suscepta
sint, & quidem interdum magno numero, qui-
bus non ita poterit prouideri matrimonio solu-
to. potest etiam accedere graue periculum vitæ,
& discordiarum inter amplas familias, ut si iue-
nis valde illustris carnaliter cognovit filiam alicuius
Ducis, vel Comitissæ, & postmodum crimine
remanente occulto, in uxorem acceperit fo-
rorem eius quam cognouit, & taliter loquendo,
non potest dissolui matrimonium, si is in aper-
tum vitæ discrimen conijciatur.

Si enim crimen patefaciat, certò illi immi-
net periculum; si non patefaciat, nunquam pa-
rentes vxoris patientur matrimonium dissolui cau-
sâ nullo modo cognita, potiusque virum è medio
tollent, quàm patiantur filij tam grauem iniuriam
irrogari.

Aduerte, quando dicitur, *si sit difficilis ad Pontifi-
cem recursus*, videri omnino intelligendum seruata
famâ, vel similibus: quamuis enim aliquis faciliè
possit Pontificem adire, si tamen non possit ca-
sum proponere sine notâ infamiæ, vel periculo
grauioris damni, Episcopus poterit dispensare, nec
censebitur facilis ad Pontificem recursus: quem-
admodum enim aliquis non tenetur crimen suum
occultum, quod alioquin sufficienter posset in iu-
dicio probare, in eodem detegere cum sua, alte-
riusve infamiâ, vel cum graui aliquo damno, ita
nec cum simili periculo tenetur Pontificem adire.
quam ob causam raro tenebitur aliquis in Curia
Romanâ dispensationem per alios procurare, si
impedimentum oriatur ex peccato occulto, & cri-
men explicari nequeat, nisi etiam persona immo-
rescat sollicitatori.

Peter

11. Petes 1. an Episcopus possit dispensare, si sit facilis recursus ad legatum Apostolicum? Henriquez cap. citato num. 1. & potissimum in commentario litterâ H. affirmat.

Resp. neg. Sed omnino videtur non posse, si Legatus hac in parte privilegium aliquod habeat à Pontifice: cum enim Episcopus nihil possit in similibus impedimentis potestate ordinariâ, sed solum ex tacita Pontificis concessione propter urgentem necessitatem, cui non potest aliter commodè occurrere, non potest dici sublata hac necessitate, respectu Episcopi Pontificem tacite facultatem concedere; hæc autem auferretur, si adsit alius, qui ex eiusdem Pontificis particulari concessione possit dispensare.

12. Petes 2. an requiratur, ut matrimonium saltem bonâ fide vnus sit contractum? negat Henriquez cap. citato num. 2. litterâ O. eò quòd auctores huius conditionis mentionem non faciunt.

Sanchez affir. Affirmat Sanchez cum multis à se citatis dispensatâ, num. 4. quia malâ fide contrahens indignus est, cui fauor huiusmodi præstetur, ergo non potest præsumi tacita concessio Pontificis, ut Episcopus in eo casu dispenseret.

Confir. ex Trid. Confirmari potest ex Trident. sess. 24. cap. 5. de reformatione matrimonij, ubi dicitur: si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat.

Resp. affir. Hæc sententia videtur verior, communiter loquendo: sententia tamen Henriquez videtur probabilis in casu aliquo valde raro: nam quando valde magni referret ad bonum publicum conseruandum, vel ad impediendas discordias inter illustres familias matrimonium aliquod non solum, Episcopus posset dispensare in impedimento etiam cum iis, qui malâ fide cum illo contraxerunt.

Confir. ex eo quòd Sanchez disp. citatâ, num. 7. doceat Episcopum posse ex urgentissimâ causâ dispensare etiam ante matrimonium contractum.

Quamuis ergo in nostro casu coniuges sint indigni dispensatione: quia tamen bonum commune id postulat, Pontifex videtur tacite consentire, ut Episcopus possit dispensare.

13. Aduerte non videri malam fidem in ordine ad hunc effectum consequendum, si coniuges laborant ignorantia crassa impedimenti: quia contrahentes cum tali ignorantia non possunt dici præsumere scienter matrimonium contrahere in gradibus prohibitis, atque adeò ex eo capite non possunt dici indigni benignitate Ecclesiæ.

14. Obiicies quæ cap. citato Trid. dicuntur, solum intelliguntur de impedimento consanguinitatis, & affinitatis.

Resp. ita esse: inde tamen posse colligi Pontificem in aliis non censi tacite consentire in dispensationem factam ab inferiore, quando coniuges malâ fide contraxerunt spe futuræ dispensationis.

15. Ex dictis ergo colligitur, ut Episcopus in impedimento dirimente possit dispensare, requiri ut matrimonium bonâ fide saltem vnus sit in facie Ecclesiæ contractum præmissis denuntiationibus (nisi super eis impetretur dispensatio ab Ordinario) & impedimentum sit occultum, sitque difficilis separatio, & Pontifex, vel alius specialem habens facultatem non possit commodè adiri, in quo euentu Episcopus dispensare potest

non tantum, quando vnicum est impedimentum, sed etiam si plura concurrant propter rationes allatas.

Quibus verò casibus potest Episcopus dispensare, non idèò potest dispensare eius Vicarius Generalis, nisi specialiter ab Episcopo id ei committatur, ut censent varij, quia tacita Pontificis concessio non videtur ad hoc extendi: potest tamen Episcopus id alicui specialiter committere.

His omnibus adde Sanchez num. 7. citato existimare Episcopum posse ex causâ maximè urgente dispensare in impedimento dirimente, etiam ante contractum matrimonium, si omnibus tentatis dispensatio iudicetur necessaria ad vitandam grauem infamiam, vel graue scâdalum, quia summa necessitas, cui aliter occurrere non potest, eam facultatem tribuit Episcopo ex tacitâ summi Pontificis licentiâ.

D V B I V M III.

An summus Pontifex debeat habere rationabilem aliquam causam, ut dispenseret in impedimentis humano iure matrimonium dirimentibus?

VARIJ Iuristæ, quos refert, & in quorum sententiam propendet Vasquez tomo 2. in 1. 2. disput. 178. cap. 4. censent ad validam dispensationem requiri rationabilem causam etiam in ipso legislatore, ex quorum sententiâ sequitur Pontificem inualidè dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus, si desit rationabilis causa.

Verùm communis Doctorum sententia tenet dispensationem factam à legislatore sine causâ esse validam, quod omnino verius est, quia lex, ut vim suam obtineat, dependet à voluntate legislatoris, similiter ut retineat, potestque legislator legem etiam sine causâ validè tollere, ergo etiam sine causâ potest cum aliquo validè in eâ dispensare.

Consequenter probatur, non potest ostendi, quòd potius requiratur causa, ut vis legis tollatur respectu vnus, quàm ut tollatur respectu totius communitatis. Hinc sequitur eum, cum quo Pontifex dispensauit, posse validè exercere id, in quo cum eo est dispensatum, sine in eo peccet, siue non, & proinde aliquem validè contracturum matrimonium, cum quo Pontifex dispensauit absque vllâ causâ in secundo consanguinitatis gradu.

Verùm verò licetè dispenseret sine causâ, controuertitur inter auctores. non enim defuerunt, qui sentirent supremum principem, posse pro libito etiam sine causâ dispensare in suâ lege. Palud. dist. 38. quæst. 4. art. 4. conclus. 3. Sylu. verbo dispensatio quæst. 3. num. 5. citatur etiam Fumus eodem verbo num. 14. sed ex fine eiusdem numeri, & potissimum numero præcedente constat illum tenere contrarium.

Contraria sententia est communior tum Theologorum, tum Iurisperitorum, quos latè citat, & sequitur Sanchez lib. 8. disp. 18. num. 3. quæ sententia est omnino verior, pro quâ

Notandum, ut lex sit iusta, debere eam conducere bono communi, illudque promouere; si talis sit, peccat legislator eam tollens, seu abrogans. vnde

Tacita Pontificis concessio pro Episcopis non videtur extendi ad eorum vicarios generales. 16.

17.

Sententia variorum Iuristarum.

Communis sententia.

Eidem adhaeret Auct.

Coroll.

18.

Controuersia.

Palud. Syluest.

Communis sententia, tenenda. Sanchez.

Probatur quod peccet, si cum aliquo sine causâ dispenset, quia tollit vinculum legis in eo, in quo expedit remanere.

Confir. sine causâ inducit inæqualitatem inter partes eomunitatis, ergo peccat.

19.
Difficultas.

Controvertunt verò authores de gravitate peccati. Aliqui censent, seposito scandalo vel notabili aliorum damno, solum esse veniale. tenet Nau. in summâ, cap. 12. num. 57. citari etiam potest Azor 1. parte moralium lib. 5. cap. 15. quæst. 3. Sanchez disp. citatâ, num. 7.

Nauar.
Azor.
Sanchez.

Alij verò censent ex suo genere esse mortale. tenet Vasquez disp. citatâ, cap. 2. in fine, Suarez lib. 6. de legibus cap. 18. num. 9. & sequentibus. Val. tomo. 2. disp. 7. quæst. 5. puncto 9. in fine, Fumus verbo *dispensatio* num. 13. inclinat Caiet. in summâ verbo *dispensatio* in initio.

Vasq.
Suar.
Valent.
Fumus.

Resolutio
Auctoris.

Quæ sententia, per se loquendo, videtur probabilior, eò quod legislator eo casu peccet contra iustitiam legalem, & aliquo modo contra distributivam. vnde spectatâ gravitate legis, per se loquendo, & seposito scandalo, & præiudicio tertij, potest mortaliter peccare.

Probatur etiam ex eo quod legislator videatur mortaliter peccare, si legem iustam à se latam, & usu receptam pro arbitrio tollat.

20.
Coroll.

Hinc sequitur Pontificem peccare mortaliter si absque vllâ causâ dispenset in impedimentis matrimonij dirimentibus, eò quod leges statucentes huiusmodi impedimenta censentur valde graves, & de re valde gravi. Si tamen re examinatâ causa iudicetur legitima, non peccat dispensando, etiam si fortè à parte rei non esset talis: cum enim ipsam rei veritatem, vt in se est, raro possumus attingere, vel etiam proportionem causæ ad dispensandum, vt dispensans exerceatur à peccato sufficit, quod præmissis examine iuxta rei gravitatem, & exigentiam bonâ fide causa iudicetur legitima: immò etiam si non iudicaretur planè legitima Pontifex facillè potest à mortali excusari, quia aliquis causa potest saltem efficere, vt non censetur valde dissentaneè rectæ rationi in eâ dispensatione se gerere.

21.

Adverte contrariam sententiam asserentem legislatores sine causâ in suâ lege dispensantem solum peccare venialiter, esse probabilem, & in præxi securam, iuxta quam etiam dicendum, eum qui sciens nullam causam subsistere inducit Pontificem ad dispensandum in impedimentis dirimentibus, solum peccare venialiter, si seponatur scandalum. ratio est, quod solum inducat ad peccatum veniale, eique cooperetur.

Inducere
ad peccatum
veniale est
tantum veniale.

22.

Quod si petens dispensationem, bonâ fide putet subesse iustam causam, non peccat, immò non peccat etiam si putet causam non esse sufficientem, si simpliciter rationes suas proponat, relinquens examen, & iudicium de sufficientiâ causæ ipsi dispensanti; cum enim non sit privatorum nolle, quenam causæ sufficiant ad dispensationem, quæ verò non, possunt eâ in re superiorum iudicio sese submittere.

Coroll.

Vnde si Pontifex dispenset, petens erit tutus in conscientiâ, nec peccabit vtendo dispensatione, quamvis perseveret iudicium speculativum de causæ insufficientiâ: quia contra illud potest operari ex iudicio practico, quod suas rationes, & motiva bonâ fide repræsentaverit Pontifici, qui hæc iudicaverit ad dispensandum sufficientia.

23.

Cum inter authores conveniat inducentem

Pontificem ad dispensandum sine causâ, peccare saltem venialiter, quod peccatum etiam contrahit acceptans talem dispensationem.

Quæritur, num peccet, qui eâ virtute varij censent non peccare. Nauar. Sylu. Azor supra, Suarez lib. 6. citato cap. 19. numero 14. & alij, eò quod per validam dispensationem exemptus sit à lege.

Verum probabilis est, quod censent alij, vtentem tali dispensatione peccare: quia est à ratione alienum, vt pars non conformet se toti in iis, in quibus eadem ratio invenitur in illâ parte cum reliquis, ex quo patet solutio rationis in contrarium allatæ. quamvis enim in tali non remaneat vis legis, remanet tamen obligatio legis naturæ, quâ pars tenetur sese aliis partibus conformare in iis, in quibus eadem ratio invenitur. talis tamen, per se loquendo, non peccabit mortaliter: non enim ex vi legis, cum per validam dispensationem lex definat eum obligare; non etiam propter rationem à nobis allatam, cum ea distantia à reliquis partibus, sepositâ legis obligatione, non videatur arguere plusquam veniale peccatum.

Immò licet inducendo ad dispensandum sine causâ, peccasset mortaliter iuxta sententiam, quam existimamus probabiliorē, vel ex alio capite extrinseco, vt propter scandalum, vtendo tamen dispensatione iam acceptatâ per se non peccat plusquam venialiter, quia, vt dictum est, exemptus est à lege, cuius vim, & obligationem non potest suâ priusâ autoritate in se inducere, sed ea obligatio debet provenire à legislator: non peccat etiam mortaliter ex eo quod non se conformet aliis partibus, vt iam diximus, neque grauius peccat, eò quod non procuret huiusmodi dispensationem sine causâ datam reuocari, quia ad id nullâ lege obligatur, cum non incumbat ei procurare, vt reuocetur dispensatio minis benedicta.

Ex quibus deducitur quod si sine peccato grauius, siue non, petens dispensationem absque vllâ causâ: eâ tamen impetratâ, per se loquendo, non peccat plusquam venialiter matrimonium contrahendo; eo autem legitime contracto, non peccat actus coniugales exercendo.

Vt aliquo modo possit cognosci, quæ causa sufficiat, & videatur iusta ad dispensandum in impedimentis dirimentibus.

Notandum quod impedimentum maius est, vel quod plura concurrunt, eo causam debere esse præstantiorem. vnde maior causa exigitur, vt dispensetur in secundo gradu consanguinitatis, quam vt in eodem gradu affinitatis, vel tertio consanguinitatis, similiter maior causa requiritur, quando impedimento consanguinitatis aliud est adiunctum. vnde Trid. sess. 24. cap. 5. de reformatione matrimonij hortatur Pontificem, vt in secundo gradu non dispensetur nisi inter principes, & ob publicam causam. quo loco principes Henricus & Elizabeth. lib. 12. cap. 3. num. 6. in commentario licet X. intelligit principales personas, & num. 9. intelligit opulentos: sed omnino verius intelligi magnos domos titulares, quales communi vltimâ voce solent designari, quorum coniunctiones cum consanguineis publicam pacem solent firmare.

In genere loquendo causæ ad dispensandum legitimæ censentur extinctio magnæ litis, pax consanguineorum, quæ aliter, quam initio matrimonij

Quæst.
Negat.
Nauar.
Sylu.
Azor.
Suar.

24.
Affirm.
Auctor.

Partes
tunc
formant
iuxta
pau
in quo
caus
necesse

25.

26.

Vnde eo
quod
si causa
aliquam
sufficit
ad dispensandum

Trident.

Henric.

Per principes
petio Trid.
causam ad
dispensandum

27.

Causæ ad
dispensandum
sufficiunt
requisitæ

D V B I V M IV.

Utrum inferior, cui ex concessione Pontificis competit potestas dispensandi in impedimentis matrimonij dirimentibus, validè dispense sine causa?

31.

CONCORDS est Doctorum sententia non dispensare validè, nisi saltem bonâ fide causâ putetur sufficiens. unde si Nuntius Apostolicus habens potestatem dispensandi in tertio, vel quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu, dispenseret cum aliquo sine causâ, irrita est dispensatio, & is, cum quo ita est dispensatum, sciens nullam causam subfuisse, non est tutus in conscientia utendo tali dispensatione, & si virtute illius ineat matrimonium, invalidè contrahit.

Sent. communis.

Probatur, superior concedens facultatem dispensandi non censetur aliter concedere, quàm si causa subsistat, nec potest præsumi aliter concessâ potestas.

Prob.

Constat, superior non potest præsumi ita tribuere potestatem dispensandi, ut ipsemet peccet, nisi constet de contrario; atqui peccaret Pontifex, si concederet potestatem dispensandi etiam sine causâ, cum ipsemet non possit licitè absque causâ dispensare.

Dixi, nisi saltem bonâ fide causâ putetur sufficiens quia si præmissis examine causâ bonâ fide putetur sufficiens, subsistit dispensatio: id enim videtur necessarium ad tollendos scrupulos, nam si tali casu non valeret, illaquearentur animæ, & timorata conscientia perpetuò scrupulis angerentur. unde qui bonâ fide petijt dispensationem, sincerè suas rationes proponens, si eam impetret, potest tuto matrimonium contrahere, cum possit, & debeat supponere (nisi constet illi de contrario) quòd dispensans etiam delegatus iudicaverit causas esse sufficientes ad dispensandum.

Porro, ut valeat dispensatio, causâ non solum debet in quibusdam inueniri, sed etiam in personis, cum quibus dispensatur.

Causâ debet inueniri in iis, quibuscumque dispensatur.

Ex quo potest oriri difficultas de dispensationibus quæ passim petuntur ex Belgio ex hac causâ, quòd sit periculum, ne Catholicis ex errore contrahant matrimonia cum hæreticis occultis, & inferioribus, quibus committitur dispensatio, passim ex hac causâ dispensent sine magno examine, cum tamen verè, & moraliter rem considerando illud periculum non subsistat in ijs partibus Belgicis, quæ idiome Gallico utuntur: si enim in illis partibus quidam sint hæretici, ij sunt omnino pauci, & facile cognosci possunt: neque iure dici potest difficulter inueniri partes Catholicas, cum, quantum est ex professione exteriori religionis Catholicæ, non possit prudenter dubitari de quàm plurimis, v.g. Duaci ubi passim frequens est exercitium religionis Catholicæ & magna populi deuotio, non potest dici subesse difficultatem inueniendi compatem Catholicam, & esse periculum (scilicet morale quod prudenti iudicio formari possit ex signis, & alijs, ex quibus hoc iudicium formari debet) contrahendi cum hæretico occulto, & proinde difficulter credi potest hanc causam esse sufficientem ad dispensandum cum aliquo Duacensi. Idem est iudicium de Cameraco, Atrebat, Insulis &c.

Difficultas.

Resolutio Auct.

monio non conciliabitur, euitatio scandalij, quod alioquin merito timetur inter cognatos propter periculosam, & suspectam aliquorum conuersationem, vel quòd nisi mulier matrimonium cum certo ineat, famæ iacturam sit passura, quæ causæ cum valde rationabiles iudicentur, ut dispensetur quando matrimonium nondum fuit contractum, longè potiori iure censendæ sunt sufficientes, ut dispensetur, quando matrimonium bonâ fide contractum est cum impedimento dirimente, eò quòd in tali circumstantiâ facilis debeat dispensari, quia communiter maiora damna merito possunt timeri, si hæc matrimonia dissoluantur, quàm si non inuantur quæ nunquam sunt contracta & præsumpta legitima.

28. Sufficiens etiam causâ censetur, si femina propter defectum dotis non possit facile inuenire sibi æqualem, & quidem in loco domicilij, quòd colligi potest ex declaratione Cardinalium circa caput s. Concil. Trid. citatum, quia nimis molestum esset femina, si cogereetur nubere extra locum proprium, & à parentibus, & consanguineis separari, quòd rursum moraliter est intelligendum, ita ut non desinat subesse hæc causâ, licet omnino pauci sint in eodem loco, quibus sine ampliori dote possit coniungi: cum non deceat libertatem matrimonij ita restringi.

Est etiam causâ sufficiens dispensandi splendor generis & amplitudo, unde oritur, quòd aliquis in suis partibus non possit facile sibi æqualem inuenire. Item si matrimonium inter aliquos sit necessarium ad conseruandam illustrem familiam in eodem sanguine.

29. Sufficiens etiam causâ censeri debet excellentia merita eius, qui petit dispensationem. valde enim facit ad bonum Ecclesiæ augendum, si personæ de re publica, vel Ecclesiâ bene merite huiusmodi beneficia conferantur, inde enim fit, ut vel illa, vel similes magis excitentur ad præclare pro Ecclesiâ se gerendum. quâ ratione potest censeri abunde sufficiens causâ, quòd Rex, vel magnus princeps etiam pro alio huiusmodi petat dispensationem, ex quibus patet, quòd facilius possit dispensari cum magnis, quàm cum hominibus communibus, ex quorum coniunctione commune bonum non ita potest promoueri.

30. Notandum quòd licet Pontifex validè possit sine causâ rationabili dispensare, immò sine omni: non censetur tamen velle dispensare, nisi aliqua subsistat, unde

Coroll. Patet quòd ea dispensatio sit irrita, & nulla, quæ impetratur à Pontifice, narrando falsum, ita ut causâ finalis, quæ in libello supplicij ponitur, non subsistat, talisque dispensatio est subreptitia.

Subreptitia impetratio dispensationis quæ dicatur.

Patet, quia eo casu tollitur voluntarium, neque Pontifex vult dispensare, si hæc causâ non subsistat, ita communiter Doctores, qui censent idem dicendum si in petitione taceatur aliquid, quo cognito Pontifex nullo modo veller dispensare.

Causâ impulsua falsò narrata non irritat dispensationem.

Quòd si id, quod reticetur vel falsò narratur, censetur tantum causâ impulsua, sine quâ etiam concederetur dispensatio, quamuis non tam facile, non viciat dispensationem: si tamen vnica causâ exprimitur in petitione, eaq; sit falsa, corrumpit dispensatio: quia Pontifex solum vult dispensare vel committere potestatem dispensandi, si preces veritate nitantur, quæ in tali casu non possunt dici niti veritate.

33.
Obiectio.

Dices verè inueniri hæreticos, vt constat ex ijs, qui in iudicio interdum condemnantur ab officialibus.

Resp.

Resp. non ob stare, quia vt dixi, sunt omnino pauci, & facile cognosci possunt: è contra alij, de quibus iure non potest oriri suspicio vel iustus timor, sunt innumeri omnis conditionis.

Replica.

Dices, inferioribus solum committitur executio.

Resp.

Resp. neg, quia censetur aliquo modo complere, & consummare dispensationem.

Confr. Pontifex mandans inferioribus huiusmodi dispensationes: vult, vt examinent rei veritatem, quam ille, vt pote remotior, cognoscere non potest, & si preces veritate nitantur, dispensent: immò onerat conscientiam eorum, quibus committitur dispensatio, quæ omnia arguunt inferioribus non committi nudam executionem sine vllò examine, arguunt etiam non esse intentionem Pontificis, vt dispensatio fiat, nisi hæc causa inueniatur respectu eorum, cum quibus dispensatur, alioquin ridiculè tanto verborum pondere vteretur.

34.

Replica altera.

Dices praxim obtinuisse contrarium.

Resp.

Resp. id factum initio, quòd fortè tempore tumultuum Belgicorum ea ratio in pluribus partibus etiam Gallicanis bonâ fide putaretur locum habere: iam tamen dici nequit in ijs partibus subesse morale illud periculum, & proinde, cum non possit præsumi Pontificem peccare committendo huiusmodi dispensationem, sed debeat censei committere absque suo peccato, & iuxta regulas, quæ postulant causam, vt inferior censeatur validè dispensare, ex praxi videtur parum solidum sumi fundamentum, præsertim cum Pontifex clausulas à nobis relatas in litteris apponat.

Hæc dicta sint rem examinando iuxta regulas Theologicas, & receptas Doctorum sententias, iudicium alijs relinquendo.

35.

Dubium.

Dubitatur, an, quando dispensatio committitur inferiori, sufficiat causam subfuisse, cum res proponeretur Romæ, vel Nuntio, vel cum litteræ ex parte eorum conficerentur: an verò insuper requiratur, vt causa persisteret, dum dispensat is, cui committitur negotium? v.g. aliqua peti dispensationem, vt possit contrahere cum cognato in quarto gradu, eò quòd propter defectum dotis non possit facile sibi æqualem inuenire, petitur, num dispensatio sit valitura, si antequam dispensauerit is, cui committitur, sufficientem dotem comparauerit?

Resp. Sanchez.

Resp. videri verius non valere, vt docet Sanchez lib. 8. disp. 30. num. 12. quia antequam inferior ipsa dispensauerit, dispensatio nondum est perfecta, censeturque adhuc in fieri, atqui cessante causâ antequam perfecta sit dispensatio, cessat dispensatio, vt ex communi Doctorum tradit Sanchez supra.

Dubium aliud.

Dubitari verò potest, an sufficiat causam subfuisse, cum dispensatur, an verò etiam requiratur, vt perseueret, dum initur matrimonium? Sanchez supra num. 14. censet requiri, vt perduret vtroque tempore, sed non est improbabile sufficere si subfuerit tempore dispensationis, quod etiam censet probabile Sanchez supra in fine num. 13. quia per hanc dispensationem homo legitimè eximitur à lege, ergo potest validè matrimonium inire, quamuis cesset causa, propter quam dispensatio est impetrata.

Resp. probabilis.

D V B I V M V.

Utrum quando plura impedimenta concurrunt, opus sit omnia referre in eadem petitione dispensationis, an verò sufficiat id fieri in diuersis?

NECCESSARIÒ faciendam omnium mentionem in eadem petitione censet Sanchez lib. 8. disp. 23. num. 2. pro quâ plures refert; quod etiam tenet Suarez lib. 6. de legibus cap. 24. num. 3. alioquin dispensationem futuram subrepticiam, & irritam, quia tacito vno impedimento reticetur id, quo expresso verisimiliter Pontifex non concessisset dispensationem. iuxta quam sententiam non solum debet fieri mentio impedimenti dirimenti, sed etiam impediens concurrentis cum dirimente. vt si quis adstrictus voto castitatis velit impetrare dispensationem pro ducendâ aliquâ consanguineâ, non debet solum consanguinitatis mentionem facere, sed etiam in eadem petitione recensere votum castitatis, quo tenetur.

Quæ sententia videtur omnino verior, quia Pontifex dispensando non solum intendit tollere hoc, vel illud impedimentum, sed personam simpliciter ad matrimonium habilitare: vnde si narratio ad hoc non sufficiat, tota dispensatio ex mente concedentis censetur irrita, quæ intentio longè certius eluceret, si Pontifex apertè peteret, num aliud subisset impedimentum.

Aduerte tamen aliquos censere sufficere, si impedimenta ei diuersis petitionibus seorsim explicentur. ita Ledesma quæst. 56. de matrimonio art. vlt. dub. 2. difficultate 3. corollario 1. Sa verbo dispensatio num. 16. Henriquez lib. 12. cap. 2. num. 4. litterâ Z. quia aliqui referunt passim impetrari dispensationes in Curia super aliquo matrimonij impedimento, nullâ factâ mentione alterius, & postmodum consimilem dispensationem impetrari super alio, & vtramque dispensationem censeri validam.

2. nullo iure videtur requiri vt hæc impedimenta simul recenseantur. & hæc sententia propter Doctorum autoritatem & etiam rationes in praxi tuta est, vt etiam fateatur Sanchez num. 1.

Illud videtur extra controuersiam, quòd si ex reuelatione vtriusque impedimenti simul factâ crearetur alicui periculum alicuius notæ, v.g. infamix, sufficeret seorsim ipsa impedimenta explicare.

Petes, an si quis coniunctus sit alteri vinculo eiusdem rationis duplici titulo, teneatur illud explicare? v.g. si quis alteri sit cognatus ex parte vtriusque parentis, vel sit affinis, quia duas alicuius sorores carnaliter cognouit. Henriquez lib. 12. cap. 10. num. 3. agens de consanguinitate, & affinitate censet sufficere, si gradus ipse explicetur.

Sed longè verius est requiri explicationem vtriusque tituli ad valorem dispensationis, vt Sanchez disp. 24. num. 5. ratio est, quòd sit attentitia duplicis sanguinis, & duplex propinquitatis, quæ non sufficienter exprimitur, explicato solum gradu.

Difficultas oritur, num si aliquis sit consanguineus, vel affinis alteri in gradu inæquali v.g. quorum vnus duobus gradibus distet à communi stipite: alter verò tribus, necesse sit gradum propin-

quorem

Affirmati-
ue quidam
resolunt.

Negant
Tolet.
Henriq.
Sa.
Sanchez.

quiores explicare, dicendo eos esse coniunctos in secundo & tertio gradu? ita censent aliqui, docentes dispensationem futuram inualem, si solum explicetur gradus remotior, quod etiam decernitur in quodam motu proprio Pij 4. qui refertur in lib. 4. septimi decretalium de consanguinitate, & affinitate cap. 1.

Verum id non requiri tenent Toletus lib. 7. nu. 5. in fine, Henriquez lib. 12. cap. nu. 3. 6. Sa de impedimentis matrimonium dirimentibus nu. 4. Sanchez disp. 24. citat. a num. 25. ratio est, quod iuxta cap. ult. de consanguinitate ij sunt absolute dicendi consanguinei in tertio gradu, & non impediantur inter se contrahere, nisi in quantum in tertio gradu coniuncti.

Conferunt ita se haberent ut unus à communi stipite duobus gradibus distaret, alter quinque, nullum inter eos esset impedimentum matrimonium dirimens, ut patet ex prædicto cap. ult. quia videlicet conferentur distare in quinto gradu.

Soluitur ar-
gumentum
affirmatiue.

Ad motum Pij 4. Resp. cum esse reuocatum per similem motum Pij 5. ut refert Sánchez supra.

Coroll.

Vnde sequitur quod quando aliqui conceditur, ut dispense in tertio gradu, virtute concedatur ut dispense in eo gradu etiam coniuncto cum propinquiore ex altera parte, ut Toletus supra.

D V B I V M VI.

Verum ad valorem dispensationis in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, necesse sit mentionem facere copulae, si ea inter consanguineos, vel affines intercesserit?

41.

Negatiua
verior vi-
detur.

ITA censent aliqui, si copula præcesserit completam dispensationem. Alij vero negant.

Quod videtur verius, quia talis incestus non est impedimentum etiam impediens, ut diximus dub. ult. superioris quæstionis.

Stylus Cu-
riae contra-
rius est pro
foro, exter-
no.

Stylus Curia, qui videtur contrarius, fortè id tantum requirit pro foro externo, & proinde in foro conscientie valet dispensatio, etiam si taceatur incestus.

Quod etiam dicendum, quamuis Pontifex in dispensatione ponat: *immò copula non intercesserit*: quia, ut Sa verbo, *dispensatio*, num. 10. dici potest id intelligi: modò in foro externo non constat de copula. Idem dicendum de quadam declaratione Cardinalium circa caput 5. de reformatione matrimonij sess. 24. Concil. Trid. quod scilicet intelligatur de foro exteriori, in quo dispensatio dici potest nulla, quando consanguinei, vel affines, qui se carnaliter cognouerunt, non meminerunt copulae.

42.

Petitio 1.

Petes 1. an faciendū sit mētio matrimonij scienter inti inter consanguineos ante dispensationem?

Resp. ex
Trid.

Resp. nono iure Trid. cap. 5. citato requiri, ubi dicitur: *si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur & spe dispensationis consequenda careat, idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit*. Idemque decernitur de eo, qui solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexit, quantumvis in gradu prohibito ignoranter contraxerit. Quia ergo ex iuris dispositione tribus illis casibus carere debet

spe dispensationis obtinendæ, qui matrimonium inualide contraxit intra gradus prohibitos, idcirco in petitione dispensationis hæc sunt exponenda, alioquin dispensatio erit nulla.

Ex quibus patet similiter explicandum, utrum matrimonium sit contractum vel consummatum spe dispensationis obtinendæ, quia Concilium sine dubio similem spem à fortiori vult punire.

Ex quo patet id, quod ante Trid. dispensationem reddebat faciliorem, eam impedire post Trid. scilicet inire matrimonium spe dispensationis, & consummare.

43.

Aduerte si matrimonium saltem ex parte vnus bonâ fide sit contractum, & solemnitates Ecclesiæ sint adhibita, non necessariò explicandum matrimonium præcessisse, quia eo casu matrimonium præcedens non nocet dispensationi. dummodo post notitiam impedimenti carnalis copula non intercesserit: immò probabili quorundam sententiâ non est necesse explicare matrimonium præcessisse, si id fuerit clandestinè initum contra formam Trid. quia cap. 5. citatum videtur agere de matrimonio secundum formam Ecclesiæ contracto.

Limitatio
Trid.

Petes 2. an dispositio cap. 5. citati habeat locum in impedimento publicæ honestatis? Resp. nō habere, eò quod sub gradibus prohibitis solum intelligantur gradus consanguinitatis, & affinitatis, ut etiam indicat declaratio Cardinalium.

44.

Petitio 2.

Resp. neg.

D V B I V M VII.

Verum ad valorem dispensationis matrimonij necessarium sit ut litteræ sint confectæ?

45.

CONSTAT, quod quando dispensatio committitur inferioribus, siue à summo Pontifice, siue à Pœnitentiariâ Romanâ, siue à Nuntio Apostolico, eum, cum quo dispensatur, non posse matrimonium inire, antequam inferior, cui committitur negotium, reipsâ dispensaret: quia antequam hic suo munere fungatur, dispensatio non est perfecta.

Quando
conferatur
esse perfe-
cta dispen-
satio.

Quæstio verò præsens intelligitur, si dispensetur Romæ, ita ut nullius intermedij operâ requiratur, an dispensatio perfecta sit, antequam scriptura conficiatur.

Resp. &

46.

Dico 1. in foro externo non suffragari, litteris non expeditis. ita decernitur regula 56. Cancellariæ apud Rebuffum.

Conclus. 1.

Dico 2. in foro tamen conscientie valet dispensatio, etiam si nondum scripta sit, statim scilicet, ac simplici verbo concessa est.

Conclus. 2.

Deducitur ex sententiâ plurimorum Doctorum, qui docent ad valorem gratiæ in foro conscientie non requiri scripturam, quia ea neque requiritur ex naturâ rei ad donationem, & fauorem principis, neque conuincitur requiri ex iuris dispositione.

Ad valorem
gratiæ in
foro con-
scientie nō
requiritur
scriptura.

48.

Corollarium.

Hinc sequitur 1. quod si summus Pontifex moriatur, antequam expediantur litteræ dispensationis, is, cum quo dispensatum est, possit in foro conscientie illâ uti.

Sequitur 2. quod similiter uti possit dispensatione, & matrimonium contrahere is, cui à fide digno est significatum Pontificem dispensasse, etiam si litteræ nondum missæ, vel etiam expeditæ fue-

rint

rint, ut si quis bonâ fide inito matrimonio in gradu prohibito occulto obtineat dispensationem super impedimentum, & ut matrimonium revalidetur, potest illud in conscientia revalidare, quamvis litteræ nondum sint confectæ.

49.
Obiectio.

Dices videri obstat regulam Cancellariæ Gregorij 13. quam refert Sanchez lib. 8. disp. 29. in qua dicitur: *nulla talis dispensatio enquam in iudicio, vel extra suffragatur antequam super eâ litteræ Apostolicæ sint confectæ.*

Resp.

Reg. neg. assumptum, quia Pontifex noluit receptæ Doctorem sententiæ aduersari, sed solum voluit, quod in foro externo, siue in iudicio, siue extra illud, nulla dispensatio suffragetur ante expeditionem litterarum, non verò agit de foro conscientie.

Simili modo intelligitur, quod tradit Trid. sess. 22. cap. 5. de reformatione dicens: *et verò* (scilicet dispensationes) *quæ gratiosè conceduntur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem* (scilicet Ordinarijs) *tanquam delegatis Apostolicis summariè tantum extrajudicialiter cognoscatur expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subiacere*, intelligitur, inquam, de dispensationibus, quæ etiam pro foro externo conceduntur: nam alioquin satis constat ex praxi concessas pro foro conscientie non fraudari suo fine, & effectu, quamvis non præsententur Ordinarijs.

50.
Obiectio.

Dices, ex his videtur sequi factâ dispensatione verbo à Pontifice, vel alio legitimam habente potestatem, posse aliquem validè matrimonium contrahere, etiam antequam certus sit de dispensatione: quia iuxta dictâ dispensatio est perfecta, cum primùm verbo fit, ergo per illud verbum aliquis est legitimè dispensatus, etiam antequam cognoscat, ergo actus est validus etiam antequam cognoscat dispensatio. secunda consequentia probatur, valor actus solum pendet à legitimâ dispensatione; hæc autem non pendet à cognitione.

Dicet fortè aliquis, requiri acceptionem, & proinde notitiam.

Sed contra facit 1. quod hæc acceptatio non videatur requiri ex naturâ rei: quamvis enim aliquis contenderet ad valorem legis ex rei naturâ requiri populi acceptionem: non tamen id videtur dicendum, ut quis à lege eximatur, sed sufficit voluntas legislatoris eximentis, & relaxantis legem respectu alicuius in particulari. patet in excommunicatione latâ pro furto, à quâ legislator potest aliquem in seculum eximere. 2. etiam si huiusmodi acceptatio, & consensus requireretur: posset tamen sufficienter censerî moraliter adesse, quando quis per se, vel per alium petijt dispensationem: nam saltem eo casu abunde censetur interpretatiuè consentire, & acceptare fauorem sibi concessum, nisi dissentiat.

Resp.

Resp. ex his videri patere, spectatâ rei naturâ non repugnare privilegiū datum etiam ad aliquid contra legem validè operandum vim suam habere, antequam innotescat ei, cui conceditur, ita ut si quantumvis incertus de privilegio sibi dato, vel dispensatione secum factâ operetur, actus sit futurus validus: de facto tamen id non videri asserendum, sed ad valorem dispensationis ad aliquid operandum de facto requiri, ut is, cum quo dispensatur, vel cui confertur privilegium, habeat illius notitiam, ita ut si operetur antequam illi innotescat dispensatio, actus sit futurus irritus, quia ex nullis privilegijs concessis ad aliquid operandum potest colligi, quod concedens velit illud operari, ante-

quam perueniat ad notitiam eius, cui confertur. 2. id est magis congruum, & conforme rationi nam ex contrario posset in plerisque induci periculum animæ, pro quo.

Notandum actum contra legem irritantem, quæ simul est prohibens, exercitum, non solum esse irritum, sed etiam peccare eum, qui contra huiusmodi legem operatur, quod posterius non tollitur in eo, qui operatur sine notitiâ dispensationis sibi factæ. ut ergo obuietur innumeris peccatis, est magis decens & rationi conforme, ut legislator non intendat dispensationem vim suam habere, antequam perueniat ad notitiam eius, cum quo dispensatur ad validè operandum.

Confir. dispensans non solum intendit tollere vim legis, quæ est irritans, sed etiam, quæ est prohibens, & intendit ut is, cum quo dispensatur, possit licitè simul, & validè operari, igitur conformis est rationi, ut non intendat dispensationem prius vim suam obtinere, quam aliquis possit licitè ex eâ operari, & per consequens non prius, quam habeat notitiam dispensationis.

Vnde ad argumentum principale Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico dispensationem verbo factam non censerî perfectam, & completam antequam venerit in notitiam illius, cum quo est dispensatum, ita ut requiratur illam notitiam, tanquam conditionem sine quâ non, propter rationes allatas. Suppono enim contrahentem matrimonium, antequam dispensationis habeat notitiam, sibi persuadendo secum esse dispensatum, graviter peccatur: quia ut minimùm sese exponeret periculo contractus matrimonialis invalidi, ex quo ulterius dico invalidè contrahere, etiam si fortè Romæ facta sit dispensatio: quia non videtur esse mens Pontificis, ut dispensatio vim suam habeat, & effectum sortiri possit, nisi quo casu, per se loquendo, aliquis turâ conscientia valeat contrahere, quod fieri non potest ante habitam dispensationis notitiam. & ita tenent Vasquez 1.2. tomo 1. disp. 156. cap. 4. §. ceterum, Suarez lib. 8. de legibus cap. 25. num. 25.

QVÆSTIO IX.

De Sponsalibus.



VIA sponsalia communius solent precedere matrimonialem contractum, tanquam dispositio quædam ad illum, merito contractui matrimoniali questio de sponsalibus annectitur.

Notandum verò sponsalia tribus modis sumi. 1. pro donis, quæ à sponso confert solent sponsæ, quâ ratione 1. Regum cap. 18. dicitur: *non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præcipua Philistinorum*. 2. pro contractu matrimonij, antequam accedat consummatio, vel benedictio, à quâ acceptione coniuges solent interdum vocari sponsi, sic Iosephus vocari solet sponsus B. Virginis, & Matth. 1. B. Virgo dicitur desponsata Ioseph, scilicet per verba de præsentibus. 3. pro contractu prævio matrimonio, & ordinato ad matrimonium, quæ significatio est maximè propria, & visitata, ita ut, nisi ex adiunctis aliud colligatur, sponsalia sumantur pro huiusmodi contractu, quæ vocantur sponsalia de futuro: in secundâ verò significatione vocantur sponsalia de præsentibus. De sponsalibus in hac tertiâ significatione præsens questio instituitur.

DVBIVM

D V B I V M I.

Quid sint sponsalia?

2. **R**esp. esse mutuam futurarum nuptiarum promissionem. ita communiter Doctores ex can. *nosstrates*, 30. quaest. 5. seu esse mutuam promissionem viri, & feminae de matrimonio ineundo. Dicitur, *mutua*, quia sponsalitiu contractus est onerosus, & proinde requirit mutuam promissionem, seu conventionem reciprocam, per quam contrahentes ex vi contractus sibi inuicem obligentur. unde si vno promittente compar non vicissim re-promittat, non sunt sponsalia, quamuis ea promissionem acceptet, & ex tali promissione nullam oritur impedimentum publicae honestatis, quod solet ex sponsalibus oriri, & proinde is, qui alicui promissit se illam in uxorem accepturum, non accedente reciproca alterius promissione, potest sine dispensatione eius matrem, vel sororem &c. accipere in uxorem.

3. **D**ubium. *Ledesma*. *Tolet.* *Sanchez.* *Rebell.* *Valq.* **R**esp. 1. An talis promissio pariat aliquam obligationem controuerti potest? Petrus Ledesma quaest. 43. de matrimonio art. 1. in prima difficultate ad 6. Toletus lib. 7. cap. 16. num. 2. Sanchez lib. 1. de matrimonio disput. 5. num. 12. Rebellius 2. parte de obligationibus iustitiae lib. 4. quaest. num. 7. affirmant. Negat Valquez tomo 4. disp. 4. de matrimonio cap. 3.

Resp. 1. communius non censei oriri obligationem, si vno promittente alter non re-promittat, quia communiter promissio vnus videtur respectu, & vnusquisque videtur non aliter se obligare promissione futuri matrimonij, quam si pars vicissim re-promittat, neque in hac materia homines censentur velle alteri gratis promittere, sed inire contractum onerosum.

Resp. 2. **R**esp. tamen 2. spectata rei naturae priorem sententiam videri veriorum. Aliquis enim potest alicui gratis promittere, & sese obligare ad illam ducendam, quamuis ea vicissim se non obliget; iuxta quam sententiam intelligitur quod diximus quaestione 7. dub. 15. post medium, sufficere vnum fidem praestare, ut ratione adulterij oriatur inter aliquos impedimentum dirimens matrimonium.

4. **O**bjectio. Dices, matrimonium iniri nequit nisi utroque se obligante, & tradente comparti dominium corporis sui, ergo vnus non potest sese obligare alteri ad illam accipiendam, nisi ea vicissim se obliget.

Resp. neg. consequentiam, quia aliud est matrimonium perficere, quod necessarii requirit mutuam corporis traditionem, aliud vero se obligare alicui ad illud ineundum, quando ea vult contrahere: neque ex eo quod matrimonialis contractus mutuam obligationem requirat, ostendi potest omnem promissionem matrimonij requirere consimilem obligationem in comparte, ad hoc, ut promittens obligetur.

Aceptatio censenda est re-promissio. **R**esp. Quamuis autem speculatiue id verum videatur: practice tamen, quando vno promittente alter acceptat, ea acceptatio censenda est esse re-promissio, & per huiusmodi formam perfici sponsalia.

Petes, quam grauer obliget huiusmodi simplex promissio? Huius quaestiones resolutio pendet ex generali, quam petitur, quam grauer obliget simplex promissio legitime acceptata? Aliqui censent solum inducere leuem obligationem, quod

in praesenti casu censet Henriquez lib. 11. cap. 13. num. 2.

Verius tamen videtur quod censent Sanchez supra num. 26. & Rebellius supra, obligare sub mortali.

Dicitur, *futurarum nuptiarum*, per quam partem contractus sponsalitiu ab omni alio distinguitur. cum vero hic contractus subordinetur matrimoniali, illius naturam in hoc imitatur, quod quemadmodum matrimonium solum est vnus cum vna determinata, ita sponsalia requirant promissionem vnus determinati cum vna determinata, ita ut si quis agens cum vna communitate puellarum dicat: promitto me vniam ex vobis ducturum in uxorem, eaque re-promittant, non incurrunt sponsalia, neque oriatur impedimentum publicae honestatis, & si accedat copula carnalis cum aliqua illarum, non censetur perfici matrimonium, etiam vbi Trid. non est receptum: eo quod talem copulam non praecesserint sponsalia: posteriori tamen casu plures, quos sequitur Sanchez lib. 1. disp. 26. num. 8. censent matrimonium perfici. Si ita promittens se ad vniam determinet, illam eligendo, perficiuntur sponsalia.

Cum ad valorem contractus requiratur interior consensus, isque liber libertate sufficiente ad peccatum mortale, constat talem consensum requiri ad valorem sponsalium, & proinde ebrium, amentem &c. non posse valide inire sponsalia, quo tempore non pollet sufficienti usu ad peccatum mortale, quod ex varijs signis vir prudens potest colligere. quod etiam verum est, licet aliquis ante ebrietatem voluerit sponsalia etiam in ebrietate contrahere: quia prior voluntas non potest efficere, ut actio in ebrietate exercita sit, & censetur moralis, & humana.

Inde sequitur proles non obligari ex contractu parentum, quo promittunt eas sibi mutuo iungendas matrimonio. non obligari, inquam, tanquam ex sponsalibus, nisi in hanc conventionem parentum saltem tacite consenserint, vel eam ratificauerint, ut constat ex cap. vnico §. *porro*, de dispensatione impuberum, in 6. *Dixi, tanquam ex sponsalibus*: quia proles possunt interdum obligari ex alio capite, ut si valde conducatur bono communi illas coniungi.

Praeter internum consensum requiruntur etiam externa signa consensus de futuro matrimonio, sufficienter expressiua, quaeque ab utroque contrahentium sufficienter intelligantur, quod etiam patet ex natura contractus inter homines, sufficienti vero qualibet signa expressiua consensus, etiam taciturnitas filij parente pro eo contrahente, ut patet ex §. *citato*, quod etiam dicendum de quolibet curam alicuius gerente. id vero intelligendum est nisi aliunde colligi possit taciturnitatem potius esse signum dissensus, vel saltem non consensus, ut si magna sit inter partes inaequalitas, si filius non afficiatur ei, quam pater vult ei tradere in uxorem, si parens sit valde austerus, cui filius non aut deat exterius contradicere. ex his, & similibus colligi poterit taciturnitatem filij non inducere praesumptionem consensus, quod multo magis colligi potest, si quis taceat, dum pro eo contrahunt illi, qui nullam eius curam gerunt.

Henr.

Respon. cum Sanchez & Rebell.

6.

7.

Requiruntur consensus liber libertate ad p. m. sufficiente.

Coroll.

8.

Requiruntur etiam externa signa consensus.

Taciturnitas filiorum potest esse signum consensus, nisi contrarium aliunde possit colligi.

D V B I V M II.

Quanam ætas requiratur ad contrahenda sponsalia?

9.

EX dictis colligi potest nullam certam ætatem iure naturæ requiri, sed sufficere iudicium, & usum rationis necessarium ad ineundos contractus, & proinde sufficere, ut contrahentes sint doli capaces.

Iure positio requiritur septennium, ut patet ex cap. litteras, & cap. accessit, de desponsatione impuberum, ex quibus textibus patet septennium debere esse completum, ita ut saltem ultimus dies septennij sit inchoatus: non verò sufficiet moraliter accedere ad finem septennij, paucis scilicet diebus deficientibus, quod censent aliqui, quia quando lex requirit certum tempus completum, requiritur ut illud in rigore compleatur, non verò sufficit pene compleri: sufficit tamen ultimum diem septennij inchoari in fauorem matrimonij, ut docent varij.

Controuerfia verò est inter Doctores, num ita requiratur septennium completum, ut etiam prudentia suppleat ætatem sponsalia non valeant in conscientia, si ante illud tempus ab aliquo ineanantur.

Prima sententia tenet valere, ita Couarr. epitome 4. decretalium 1. parte cap. 2. Petrus Ledesma quæst. 43. art. 1. §. secunda difficultas, conclus. 1. Sanchez lib. 1. de matrimonio disp. 16. num. 9. & alij.

Secunda negat. Sotus dist. 27. quæst. 2. art. 2. Estius eadem dist. §. 11. versu 1. Nau. cap. 22. num. 27. Toletus lib. 7. cap. 16. num. 5. Viualdus de sponsalibus num. 45. & plures alij.

Hæc sententia videtur probabilior.

Probat ex cap. litteras, citato, ubi dicitur: si prefatus vir matrem puellæ, antequam septimum compleisset, in uxorem accepit, matrimonium non dissoluas, igitur sponsalia ante annum septimum contracta sunt inualida.

Consequentia probatur, quia si essent valida, ex eis oriretur impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium inter virum, & matrem puellæ, & proinde tale matrimonium esset dissoluedum.

Dices eo loco agi de quodam, qui puellam in cunabulis sibi desponsauerat, in quâ proinde prudentia non supplebat ætatem.

Resp. licet is casus Pontifici fuerit propositus, eius tamen responsionem non restringi ad illam circumstantiam, sed absolute intelligi, quod sponsalia ante septennium completum inita sint nulla, quantumvis contrahentes vsu rationis polleant.

Idem clarius patet ex cap. accessit, eodem tit. ubi Pontifex dicit: si tibi confiteri, quod puella non esset septennis quando tu desponsata fuit, & postea in eum non consenseris &c. matrimonium inter eundem tu. & matrem puellæ celebratum, præcipias inuolabiliter obseruari &c. quia desponsationes, & matrimonia ante septem annos si non possunt, si consensus postea non accedit, ubi Pontifex ad declaranda inualida sponsalia ante septennium inita non ponderat defectum vsus rationis, sed solum defectum ætatis, ergo nullo casu valent, si ante septennium completum ineanantur.

Idem patet ex §. 1. cap. vnici, de desponsatione impuberum, in 6. ubi dicitur: si infantes ab unicum, vel unus maior septennis, & alter minor sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutua, seu alias verbo, vel facto ipsorum liquidè appareat eosdem in eadem voluntate factos maiores perdurare, sponsalia huiusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime conualescent &c. quibus verbis Bonifacius 8. clare docet sponsalia ante septennium inita esse nulla, seu inualida.

Confir. ex eo quod ibidem doceat ea non inducere publicæ honestatis iniuriam.

Dices hæc iura determinare id, quod communiter contingit, atque adeo in eis intelligi exceptionem, nisi prudentia suppleat ætatem.

Resp. id nullo modo colligi ex modo loquendi Pontificum, sed contrarium, cum formulæ sint vniuersales, vel illis æquiualeant.

Confir. Pontifices decernentes sponsalia hæc esse inualida, nunquam ponderant defectum vsus rationis, sed defectum ætatis, ergo signum est eos velle decernere absolute sponsalia ante septennium completum non posse valide iniri: immo §. 1. cit. ubi dicitur: ipsi contraxerint, satis indicatur sponsalia esse nulla, etiam si contrahentes vsu rationis polleant.

Confir. hæc iura non solum continent instructionem, quâ solum doceamur sponsalia ante septennium inita communiter presumenda esse inualida, contra verò, si post septennium ineanantur: sed continent constitutionem, quâ decernitur, quod ante septennium sint nulla, ergo ex hac iuris constitutione dicendum est nullo casu esse valida, si ineanantur ante septennium.

Consequentia probatur, si aliquo casu essent valida, nihil certi ex his iuribus haberetur.

Dices poni exceptionem in alio æquiualeanti, scilicet in matrimonio, quod licet ex dispositione iuris non possit valide iniri ante annos pubertatis: valet tamen, si malitia suppleat ætatem.

Resp. neg. assumptum, & dico exceptionem positam respectu matrimonij, non esse extendendam ad sponsalia, quia nunquam Pontifices id insinuant, neque suppetit solida ratio extendendi, cum constitutiones positæ aliquid decernentes respectu matrimonij non sint adaptandæ sponsalibus.

Certè si nulla esset dispositio, quâ decerneretur, quâ ætate sponsalia essent ineunda, nullam certam deberemus præscribere ex eo quod pro matrimonio præscribatur, cum ergo ius requirens certam ætatem pro matrimonio ponat exceptionem, nisi malitia suppleat ætatem, quam exceptionem non insinuat respectu sponsalium, videtur omnino dicendum, quod absque vllâ exceptione sponsalia ante septennium inita sint inualida, & quod ætas à iure requisita ad valorem sponsalium per iudicium suppleri non possit.

Aduerte ex §. 1. citato, hæc sponsalia, quæ ab initio inualida fuerunt, non conualescere per lapsum temporis: posse tamen conualescere ratione consensus, in quo partes censentur permanere. censentur verò in eo permanere exhibitione signorum, quæ communiter sponsi sibi inuicem exhibere solent, ut mutuâ cohabitatione, similiter, si tanquam sponsi se mutuâ osculentur, si mittant sibi inuicem munuscula sponsi mitti solita.

Ex his

Cap. litteras.
Cap. accessit.
Ultimus dies septennij debet esse inchoatus.

10.

Controuerfia.

Prior sententia affirmat.
Couarr.
Ledesma.
Sanchez.

Posterior negat.
Sotus.
Estius.
Nauarr.
Toletus.

II.
Posterior præfertur.
Prob.

Replica.

Resp.

Cap. accessit.

Ex his, & similibus præsumi potest perseverantia consensus, si contrahentes habent notitiam sponsalium initorum tempore infantie; si desit hæc notitia, sponsalia non ratificantur per huiusmodi signa, cum non censeantur exhiberi ratione prioris contractus, in quo partes censeantur velle perseverare, & quem velint ratificare, cum scirent eum antea fuisse inualidum.

Contra resolutionem obijci potest cap. *Iuuenis*, de sponsalibus, ubi Pontifex decernit, quod iuuenis, qui puellam nondum septennem duxerat, non potuerit illius consobrinam in uxorem accipere, quod non contigit aliâ de causâ, quâm quia priora sponsalia fuerunt valida, ergo.

Resp. neg. secundam partem assumpti: quia Pontifex non decrevit, quod prædictus iuuenis non potuerit permanere cum consobrinâ prioris propter nudum contractum, sed propter contractum cum attentatâ copulâ carnali, & insuper quia puella passim habebatur eius vxor, quæ patet ex textu. propter quas causas Pontifex censuit inhonestum esse, ut iuuenis consobrinam puellâ in uxorem acciperet.

Petes an sit grave peccatum contrahere sponsalia ante septennium? iuxta nostram sententiam videtur omnino asserendum esse ex suo genere mortale, cum semper ante illud tempus inualidè contrahantur; actus autem iure canonico irritus semper videtur prohiberi: nam Doctores agentes de aliquo actu iure canonico irritum censent esse illicitum eum exercere. vnde debent censere actum, qui eo iure redditur nullus, eodem iure prohiberi.

Ex quo deducitur sponsalia ante septennium prohiberi; materia autem illius prohibitionis est gravis, ergo, quantum est ex conditione actus, peccatum est grave: non apparet verò, quod legislator nolit suam legem obligare iuxta exigentiam materiæ.

Sed cum variorum sententiâ, eaque probabili hæc sponsalia sint valida, si prudentia suppleat ætatem, petitur quid iuxta eam probabilius dici possit? Sanchez lib. 1. disput. 17. num. 4. censet nullum esse peccatum. Varij censent esse mortale. Ledesma supra in 2. difficultate conclus. 1. addens si id fiat sine vrgenti necessitate, & sine Episcopi licentiâ, Nauar. cap. 22. num. 30. Henriquez lib. 11. cap. 13. num. 13. & alij.

Hæc sententia videtur verior.

Probatur ex cap. 2. de desponsatione impuberum, ubi Nicolaus Pontifex dicit: *Distinctis inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, coniungantur.* Sanchez supra, dicit hunc textum non intelligi de sponsalibus, cum ea non sint coniunctio, sed coniunctionis promissio.

Sed de his intelligi, videtur patere ex textu, ubi dicitur: *Nisi forte aliquâ vrgentiâ necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur*, quæ verba non possunt matrimonio aptari, cum illud ante legitimam ætatem initum (nisi malitia suppleat ætatem) nullâ ratione toleretur iure canonico, etiam si gravissima causa subesse fingatur; ergo hæc particula declarat textum non esse capiendum de solo matrimonio, sed generaliter de contractu etiam prævio matrimonio, qui licet interdum ex causâ valde vrgenti iniri possit à parentibus pro prolibus: communiter tamen non possit vel ab iisdem, vel etiam ab ipsis prolibus iniri ante ætatem à canonibus præfixam, atque

adeò ante illam gratem sponsalia sint illicita, idque sub mortali, cum materia sit gravis.

Præterea cum sponsalia in eâ ætate contracta solui possint à partibus ubi ad ætatem adultam pervenerint, ex quâ dissolutione gravis incommoda frequenter sequi possunt, ut rixæ, & inimicitie inter consanguineos, merito videtur grave peccatum sponsalia in illâ ætate contrahere, nisi gravis causa lubsit.

Ex quo patet graviter peccare eos, qui infantes inducunt ad sponsalia contrahenda, vel ad id consilium præstant: similiter graviter peccare parentes, qui absque vrgenti causâ contrahunt pro filiis impuberibus, quod peccatum longè gravius est, si apponant gravem penam, quam incurrat resiliens, seu is, qui parentum contractum non steterit: cum, ut constat ex cap. unico de desponsatione impuberum, in 6. §. ultim. filij non obligentur ex sponsalibus contractis à parentibus pro illis.

Dices, cap. 1. de desponsatione impuberum dicitur: *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cuius discerni non potest) pater cui vult matrimonio tradere, & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere.*

Resp. ex Glossâ ibidem, filium id debere facere ex solo debito honestatis, non verò ex debito necessitatis, seu Pontificem velle honestum esse, ut filius impleat, quod pater promissit (si videlicet nulla iusta causa subsit resiliendi) non verò velle ad id obligari.

D V B I V M III.

De obligatione sponsalium.

COMMUNITER Doctores censent valida sponsalia ex suo genere graviter obligare, quod patet ex gravitate materiæ, vnde qui validè sponsalia contraxit, per se loquendo, tenetur sub gravi peccato matrimonium suo tempore contrahere. ubi

Notandum quòd si in contractu sponsalicio tempus sit præfixum matrimonio ineundo, matrimonium intra illud tempus differri non possit, nisi peculiaris circumstantia excuset, vel partes communi consensu in dilationem conveniant; si nullum tempus præfixum sit, sponsalia censenda sunt obligare, & matrimonium ineundum post aliquod tempus iuxta morem regionis, vel parte petente tanquam debitum: ita enim passim intelliguntur obligare contractus quorum executioni certum tempus non est præfixum. intelliguntur, inquam, solum obligare parte petente tanquam debitum, nisi aliud habeat patriæ consuetudo. si pars solum amicè petat, non verò exigit tanquam debitum, alter differens matrimonium non statim est censendus peccare.

Aduerte tamen sufficere tacitam petitionem, vnde sponsus potest obligari ad matrimonium commodo tempore ineundum, licet sponsa præ verecundiâ, vel metu non audeat expressè petere.

Porrò sponsalia non solum obligant ad matrimonium commodo tempore ineundum, vel saltem parte petente, sed etiam obligant, ut partes nihil faciant, quod eorum executioni possit obstare, quod patet in omnibus contractibus, in quibus de aliquo in futurum convenitur, item in voto; hæc enim non solum obligant ut faciamus id, de quo convenimus, vel quod promissimus, sed ex conse-

SSS

quenti

quenti etiam obligant, ut nihil faciamus, quo impediatur executio, vel reddatur impossibile: immo qui voluntarie reddidit executionem sponsalium impossibilem, non solum peccat, sed etiam tenetur compari tantum restituere, quanti intererat contractum adimpleri.

23.

Cum vero nullus possit obligari ad id, quod est peccatum, constat ut sponsalia sint valida, & inducant obligationem, debere contrahi à personis, quæ matrimonium absque peccato inter se inire possint: cum enim nullus valide possit promittere, quod non potest exequi sine peccato, liquet personas, quæ non possunt matrimonium absque peccato contrahere, non posse sibi invicem illud promittere. unde fit, ut sponsalia non solum sint invalida, quando inter personas est impedimentum dirimens, sed etiam quando solum est impediens. si tamen sponsalia referantur ad tempus quo matrimonium absque peccato iniri potest, obligant, ut si is qui vult castitatem ad annum contrahat sponsalia cum aliquâ, ea sunt valida, & pariunt obligationem matrimonij incundi tempore habili: quemadmodum impuberes valide contrahunt sponsalia, quamvis ante annos pubertatis exactos non possint matrimonium inire.

24.

Difficilis.

Vnde oritur controuersia, an si habentes impedimentum canonicum ita contrahant: promitto me initurum tecum matrimonium, si Pontifex dispensauerit, subsistat contractus, & impetrata dispensatione sint sponsalia? Sanchez libr. 5. de matrimonio disp. 5. num. 5. & sequentibus tres hac de re refert sententias.

Sanchez.

Primâ sent.

Prima sentit non subsistere, esseque integrum partibus tam ante, quam post dispensationem resilire. tenent plurimi Canonistæ & Theologi. Viçtor. num. 258. Henriquez libr. 12. cap. 10. num. 4. & censet probabile Sanchez num. citato in fine, Sa verbo sponsalia §. dicere.

Victor.

Henric.

En.

Secunda sent.

Secunda sententia tenet valere quidem contractum, posse tamen alterutrum inuita comparte resilire.

Tertia.

Sanchez.

Tertia tenet subsistere, nec posse ab vnâ parte reuocari, inuita comparte. Sanchez supra num. 13. qui pro eâ plures citat num. 12.

25.

Tertia placet.

Hæc sententia videtur probabilior, nam talis modus contrahendi non est iure naturæ invalidus, nec facile potest ostendi, quod iure positio irritetur: ideo enim irritaretur, quod conditio censetur impossibilis, utpote pendens à voluntate principis, & per consequens reiicienda, tanquam non apposta.

Verum id dici nequit, quia quod pendet à voluntate principis, qui id solutus est concedere, non est censendum impossibile, ut tradunt plurimi Iuristæ apud eundem Sanchez numer. 12. citato, ergo talis conditio non est censenda impossibilis, & proinde contractus ex eo capite non est iure invalidus; atqui ex nullo alio capite dici potest invalidari, ergo.

Vnde omnino videtur, quod talis contractus fortiaur rationem contractus sponsalium conditionatorum, & quod posita conditione perfectæ obliget, indeque oriatur impedimentum publicæ honestatis.

26.

Coroll.

Ex quibus patet quod consanguinei in tertio, vel etiam in secundo gradu possint ita contrahere: promitto tibi matrimonium, si Pontifex dispensarit, & quod siue ante, siue post dispensationem neuter altero inuito resilire possit, item quod posita dispensatione sponsalia sint pura,

ex quibus oriatur impedimentum publicæ honestatis.

Idem videtur dicendum de hac formula, promitto tibi matrimonium, si ad fidem conueraris: infideli enim conuerso, & baptizato contractus sortietur rationem purorum sponsalium.

Petes 1. an sponsalia contracta sub conditione de futuro turpi, vel impossibili, valeant & pariunt obligationem? Sanchez libr. 5. disp. 17. num. 2. censet has condiciones reiiciendas, & proinde sponsalia valere, in quod potissimum inclinat propter satis communem Doctorum sententiam ex cap. ult. de conditionibus apposis.

Verum plures Theologi Salmanticensis, teste Petro Ledesma quaest. 47. art. 5. in fine, censuerunt has condiciones non esse reiiciendas à sponsalibus, quod etiam tenet Rebellus 2. parte de obligationibus iusticiæ libr. 2. quaest. 10. sect. 5. quam sententiam censet probabilem Ledesma supra, & indicat Sanchez loco citato, videturque omnino probabilior.

Quia quomodoque intelligatur cap. vltimum citatum (de quo in superioribus diximus) eius dispositio non est extendenda ad sponsalia, cum ergo huiusmodi condiciones non reiiciantur ex rei naturâ, non est quod dicamus reiici à sponsalium contractu.

Vnde probabilis videtur sponsalia contracta sub conditione impossibili sentio apposta nullam parere obligationem, non parere etiam impedimentum publicæ honestatis.

2. contracta sub conditione turpi non obligare ante euentum conditionis, quod si partes ante huiusmodi euentum non resiliunt, adueniente conditione oritur obligatio sponsalium, & impedimentum publicæ honestatis. vbi

Notandum licet, quando conditio est turpis, neuter teneatur illius euentum procurare, vel eum expectare: eâ tamen posita tam in his, quam in alijs conditionatis, absque nouo consensu perfici sponsalia: quemadmodum alij contractus conditionati solent perfici, & compleri aduentu conditionis, nullo nouo consensu interueniente. quando conditio est honesta, vel indifferens, partes ex vi contractus tenentur eam expectare, vel etiam procurare iuxta conditionis exigentiam.

Petes 2. vtrum aliquis obligetur ex sponsalibus, quando dubitatur de intentione sese obligandi?

Resp. obligari in vtroque foro: cum enim actionem externam comitari soleat intentio interior proportionata, in casu posito iudicandum etiam in foro conscientie sponsalia obligare, cum constet de promissione, quæ proinde dicenda est esse in possessione, & per consequens in dubio de intentione, in illius fauorem sit iudicandum, non verò pro libertate voluntatis, quam homo non censetur amplius possidere: sicut communi sententiâ quando constat aliquem emisisse votum, si dubitet num intenderit se obligare, in vtroque foro censendum est obligari.

Petes 3. vtrum aliquis possit sub solo veniali obligari ad sponsalia implenda? Negat Vasquez tom. 4. quaest. 6. de matrimonio cap. 3. num. 52. sed videtur posse, si partes communi consensu noluerint maiorem in se obligationem inducere.

Ex dictis sequitur eum, qui post sponsalia legitime contracta cum Mariâ, etiam sine iuramento, postmodum contrahit sponsalia iurata cum Catharinâ, obligari Mariæ, & posteriora sponsalia esse

invalida

Quod ab initio est invalidum, non conualescit propter aliquam mutationem extrinsecam superuenientem.

33.
Petitio 4.
Resp. affirm.
Cap. ex litteris.

Cap. requiritur.

34.
Petitio 5.

Resp. affirm.

35.
Coroll.

Secur. de homicidio vel iudicio tenente.
36.
Petitio 1.
Resp. affirm.

36.

Vis sponsalium non pendet à voluntate exequendi.
Prior sent. affirm.
Ledesma.
Vasquez.
Posterior neg.
Molina.
Henric.

invalida; neque ex vi eorum obligari ad Catharinam ducendam, etiam Mariam mortuam, vel solutis sponsalibus cum eâ. quia quod ab initio in se est irritum, & invalidum, non potest conualescere propter aliquam mutationem extrinsecam superuenientem.

Petes 4. vtrum pars, quæ non vult adimplere sponsalia legitime contracta, possit cogi per iudicem ad illa implenda?

Resp. posse, etiam per censuras, vt patet ex cap. ex litteris Saluani, de sponsalibus, vbi licet agatur de sponsalibus iuratis, idem tamen fieri potest, quamuis sponsalia nullo iuramento sint firmata. vbi

Adverte, quod quia coactio difficiles exitus in matrimonio sæpe parere solet, quando graua incommoda probabiliter timeantur, pars quæ renuit sponsalia adimplere, potius sit suauiter monenda, quam censuris, vel aliter cogenda, etiam si sponsalia sint iurata, iuxta cap. requiritur, eodem titulo, quod hoc modo est intelligendum, ne alioquin priori repugnet; immo si fortè animo obstinato non obstante censurâ aliquis nolit adimplere sponsalia, consultius est eum absolueri, quia eo casu censura nullo modo prodesset.

Petes 5. an parentes interdum contrahentes pro filiis absentibus, vel paruulis ad aliquid obligentur?

Resp. obligari, scilicet ad procurandum bonâ fide vt proles matrimonium inter se contrahant, cui obligationi non satisfaciunt, si id perfectori agant, ita vt ex ipso modo satis ostendat se parum curare, vt matrimonium perficiatur. si serio agant, satisfaciunt, nec censentur etiam perituri si filij nolint coniungi. quia in tali contractu, vel promissione solum censetur promittere se serio procuraturos, vt proles impleat, quod promiserunt.

Adde parentes non debere, vel posse minis vel alio graui metu prolem adigere ad matrimonium ineundum, quod pro eâ contraxerunt: quia tantum abest, vt hac ratione finem suum consequerentur, vt potius eo fraudarentur, cum matrimonium graui metu iniuncto inuicem sit nullum.

Hinc sequitur parentem non obligari ad penam adiectam, si præstitit tali diligentia proles nolit matrimonio coniungi: quia, vt dictum est, vacat omni culpâ, ergo non incurrit penam. Adde penam (nisi aliud ex adiunctis colligatur) non tam apponi, quo casu effectus non sequatur, quam quo casu parens desit suo officio in procurando matrimonio, de quo contractum iniit.

D V B I V M I V.

An fidei promittens matrimonium teneatur ad illud ineundum ex obligatione sponsalium?

Q V AESTIO intelligitur de eo, qui ita fidei se habuit, vt quamuis exterius videretur contrahere, intus tamen nolebat se obligare ad matrimonium contrahendum: si enim volebat se obligare, certum est obligari, quamuis nollet exequi: quia vis sponsalium non pendet à voluntate exequendi.

Duplex est de præsentia questione sententia. Prior censet obligari, & quidem obligatione sponsalium, tenet Petrus Ledesma quæst. 43. art. 1. difficultate 2. conclusione 4. Vasquez tomo 2. disp. 6. de matrimonio cap. 3. & alij.

Posterior negat. Molina tract. 2. de iustitiâ disp. 352. ante §. illud est obseruandum, Henriquez libr. 11.

cap. 13. num. 2. Sanchez libr. 1. disp. 9. numer. 5. Sanchez. Lessius libr. 2. de iustitia cap. 18. dubit. 8. in fine. Leg.

Hæc sententia videtur verior.

Probat, talis verè non promittit, ergo ex eo actu non oritur obligatio sponsalium, immo nec simplicis promissionis.

Consequentia probatur, quia obligatio sponsalium non potest inueniri, vbi non sunt vera sponsalia, nec similiter obligatio promissionis oritur, quando non intercedit vera promissio. Antecedens verò probatur, quia non est dicendum inueniri promissionem deficiente animo se obligandi. licet enim promissio non sit intrinsecè actus voluntatis, sed intellectus practici, quo vnus ad alium dirigatur cum obligatione faciendi id, de quo est sermo: hic tamen actus ad sui valorem necessariò presupponit actum voluntatis, quo aliquis saltem confusè sese velit ad id obligare, ergo quando deest animus se obligandi, non est vera promissio.

Confir. 1. obligatio, quæ oritur ex promissione, non oritur aliunde, sed ex ipsomet promittente, ergo in eo requirit voluntatem se obligandi, & proinde eâ deficiente, nulla oritur promissionis obligatio.

Dices eo ipso inueniri hanc voluntatem, quo inuenitur ille actus intellectus practici ad alium directus.

Resp. neg. quia nisi externus sonus verborum informetur interiori voluntate promittendi, & sese obligandi, non adfert ex se hanc voluntatem.

Confirm. si eam adferret, nulla esset ficta promissio, quod est contra commune iudicium, & contra suppositum.

Confirmatur 2. conclusio, promissio obligat tanquam lex priuata, quam aliquis sibi imponit; lex autem non obligat, nisi legislator velit obligare: ita vt non sufficiat locutio exterior practica, quâ solum videatur velle obligare subditos, ergo vt aliquis obligetur verè ex promissione, requiritur vt verè interius vouerit se obligare, & non sufficit

Coroll. exterius proferte verba promissionem sonantia, ex quo est consequens in præsentia questione eum, qui ita exterius contrahit sponsalia, vt interius nolit sese alteri obligare, verè non contrahere sponsalia, neque obligari ex sponsalibus: quod amplius ostenditur, sponsalia sunt contractus onerosi; talis autem contractus requirit concursum voluntatum ad se inuicem directarum, non necessariò earum, per quas contrahentes velint facere id, de quo contrahunt, ergo saltem earum, quibus velint se sibi mutuo obligare, quæ voluntates non sufficiunt inueniuntur præcisè eo ipso, quo verba exteriora in alium diriguntur. præterea constat ex veris, & validis sponsalibus absolutis oriri impedimentum publicæ honestatis, atqui ex sponsalibus fidei contractus hoc impedimentum non oritur, vt indicatur cap. vnico de sponsalibus, in 6. cum talibus sponsalibus desit consensus.

Obijciunt 1. quisquis exterius profert verba detractionis sciens, eo ipso vult detrachere, ergo quisquis sciens, & cognoscens verborum promissio- rum vim, ea profert, vult promittere.

Resp. neg. consequentiam, quia ad detractionem sufficit, quod in aliorum animis ingeneretur mala opinio de aliquo, quam malam opinionem verba nata sunt ingenerare, quantumvis præterens nolit ingenerari, & proinde quisquis vult verba detractionis coram alijs proferte, secundum communè vsum interpretatiue vult detrachere: vt verò promissio vim suam fortietur, & sit obligatoria,

§ f f f 2

non

40.

Obiectio 2.

Resp.

Promittens
duplicem
dici potest
subire obli-
gationem.

non sufficiunt verba, sed requiritur interior affectus se obligandi, cum is ad rationem promissionis requiratur, quem affectum potest aliquis separare ab ipsis verbis exterioribus ad alium directis.

Obijciatur 2. qui exterius promittit, tenetur habere voluntatem seruandi.

Resp. hinc sequi eum peccare, non tamen sequi verè obligari, sicut obligaretur ex verà promissione, propter rationes allatas, pro cuius rei ulteriori explicatione

Notandum promittentem vel cum alio exterius contrahentem posse dici duplicem subire obligationem: vnam absolutam, alteram conditionatam, prior est, quā tenetur facere, vt mens respondeat verbis, & quā tenetur velle se obligare alteri in posterum, sicut verba sonant, & ex communi usu accipiuntur: secunda, quā tenetur praestare, quod promissit. quam dico esse conditionatam, quia ad hoc, per se loquendo, non tenetur, nisi verè se intenderit obligare, & compars non remisit, quae posterior obligatio propriè est fidelitatis: prior verò potius est veritatis, quae obligat, vt mens respondeat verbis, & vt interius nos obligeamus, sicut exterius significamus. vnde si desit voluntas se obligandi, quando exterius verba promissionis, vel contractus proferuntur, non oritur ulterior obligatio tamen ex verà promissione, quamuis, vt dixi, homo peccauerit.

41.

Petitio 1.

Negat Sanchez.

Resp. affir.

Caser.

Covarr.

Petes 1. vtrum si sponsalibus fictis iuramentum apponatur, oriatur obligatio praestandi, quod promissum est? Negat Sanchez disp. citata num. 9. si adsit expressus animus se non obligandi, pro quā sententiā plures citat. Sed longè probabilius est oriri obligationem, quod docent Caietan. 2. 2. quaest. 89. art. 7. ad 4. Covar. de pactis 1. parte §. 5. num. 2. & plures alij. quia obligatio iuramenti non oritur ex eo quod aliquis se velit obligare, sed ex eo quod recipiā voluntariè Deum assumat in testem rei futurae, nam reuerentia Deo debita obligat, vt id praestemus, quod sub diuinā attestatōne nos facturos promissimus, ne alioquin Deum testem falsi accersere censeamur, igitur quamuis vi promissionis nulla oriatur obligatio erga compartem, oritur tamen obligatio religionis erga Deum faciendi id, quod iurauimus, cum res suae peccato fieri possit, & legibus non prohibeatur.

42.

Ex promissione ficta

matrimonij

licet iurata

non oritur

obligatio

iustitiae.

43.

Petitio 2.

Affirm. sua-

detur.

Non tamen existimo inde oriri obligationem iustitiae erga compartem, vel per talem promissionem induci impedimentum publice honestatis: quia in ratione sponsalium nulla est promissio defectu consensus.

Petes 2. an qui fictè promissit, teneatur interiori consensum adhibere, seu interius velle se obligare?

Suppono teneri, si scandalum, vel damnum comparti alioquin sequatur, cui non possit aliter occurrere, quam impediendo contractum exterius initum. quaestio verò est an, per se loquendo, & exclusis extrinsecis, ad id obligetur ex vi prioris contractus, quem fictè iniit? & videtur obligari: quia fictè contrahendo violauit iustitiam commutativam, quae postulat, vt qui sese applicat ad contractum exterius inendum, adferat proportionatam voluntatem sese comparti obligandi, alioquin grauius eam decipit, & est ei iniurius: violatio autem iustitiae commutativae obligat ad reparationem eius, quod omissum est, ratione cuius omissionis inueniebatur inaequalitas inter partes, ergo in praesenti obligat, vt is, qui fictè promissit, tollat fictionem, interius verè consentiendo, & volendo sese obli-

gare. Quamuis hoc argumentum videatur satis urgere: ij tamen, qui nostram sententiam sequuntur, non videntur agnoscere huiusmodi obligationem renouandi consensum, & in specie tenet Sanchez disp. 10. num. 26. pro quā plures citat, & in simili de matrimonio fictè contracto tradunt plures. Sanchez libr. 1. disp. 11. num. 5. & censet probabile Victor. num. 252. & alij.

Vnde dico, per se loquendo, eum, qui fictè contraxit, non obligari interiori consensum adhibere, neque iustitiam commutativam id exigere. ea enim solum requiritur, vt si in re ipsa sit inaequalitas, tollatur, seu ponatur aequalitas: vt scilicet vna pars praeter aliam iniquè non grauetur: non verò exigit, vt si defectu alicuius conditionis interius requiritur non fuerit verus contractus, ea reponatur, & contractus ineatur: qui enim fictè contraxit, verè noluit contrahere, nec videtur obligandus ad contrahendum eò quod signa contractus exterius ediderit. nam licet in eo peccarit, tamen ibi sistendo nullam in rebus ipsis posuit inaequalitatem, quam teneatur reparare.

Ex his patet responsio ad argumentum. Dico enim eum, qui exterius se applicat ad contrahendum, per se loquendo, & seclusis extrinsecis, v. g. metu &c. teneri adferre voluntatem proportionatam se obligandi, aliàs peccare etiam aliquā ratione contra iustitiam: ibi tamen sistendo partem nullam subire inaequalitatem in rebus ipsis, & proinde nullam oriri obligationem adhibendi consensum, quo velit sese obligare, & verè contrahere.

Petes 3. an sciam is, qui fictè promissit matrimonium, & sub eā spe compartem cognouit, eam teneatur accipere, seu stare promissis: communius affirmant Doctores. Nauarr. cap. 16. num. 18. Vasquez tomo 4. disp. 6. de matrimonio cap. 4. Lessius libr. 2. de iustitiā, cap. 10. dubit. 3. & cap. 18. dubit. 8. num. 60. & plures quos citat, & sequitur Sanchez libr. 1. disp. 10. num. 3. quia compars, quae contractum ex sua parte impleuit, ius acquirit, vt etiam impleatur ex parte alterius, quantumvis fictè se habuerit promittendo, ergo fictè promittens tenetur eo casu contractum complere, alioquin erit grauius iniurius in compartem.

Notant tamen authores fictè promittentem in hoc casu quibusdam euentis non teneri accipere in uxorem.

1. si promissit matrimonium sub conditione copulae asserenti se virginem, quae in copula deprehendatur non fuisse virgo: tunc enim sicut decepte fictè promittendo, ita vicissim deceptus est, & proinde ad nihil tenetur.

2. si putabat virginem, cum non esset: quia eo casu non teneretur ducere, quamuis serio promississet, ergo neque tenebitur, si fictè.

3. si mulier ex indicij facile poterat aduertere alterum non serio agere, vt si sit notabilis disparitas natalium, conditionis, diuitiarum, si vir verbis ambiguis utatur, vel magnis exaggerationibus, nam iis circumstantijs facile poterat aduertere alterum fictè agere, & proinde non tam ab alio censetur decipi, quam se ipsam decipere, nimis facile acquiescendo: immò verisimile est his circumstantijs virum fictè promittentem ad nullam aliam restitutionem obligari, quia mulier suae leuitati debet tribuere quod damnum aliquod passa sit.

4. non tenetur accipere, si grauiora mala, vel scandala timeantur ex matrimonio, quia eo casu non teneretur, quamuis serio promississet.

j. non

non tenetur ducere varijs alijs casibus, quibus posset legitima sponsalia dissolvere.

Notandum dicta de promissione futuri matrimonij ineundi cum copulâ, etiam intelligi de matrimonio fidei contracto, quod scilicet fidei contrahens teneatur verè contrahere, nisi fuerit similiter deceptus, vel ex eo matrimonio grauiora mala, vel scandala timeantur, & similibus euentis.

Hanc communem sententiam iudico in praxi sequendam: speculatiue tamen rem examinando non caret difficultate, nam videntur minùs conformiter procedere, qui docent fidei promittentem non teneri ratione promissionis, etiam quando ea est reciproca, & tamen in praedicto casu ex ratione promissionis oriri obligationem; vt etiam bene obseruauit Valquez cap. 4. citato numero 39.

Confirm. Sanchez disp. cit. numer. 21. censet quod quando is, qui fidei promittit matrimonium ei, quam sub eâ spe deflorauit, multò dignioris est conditionis, non teneatur eam ducere, sed solum restituere damna instar eius, qui vi, vel fraude deflorauit, quia non tenetur, inquit, ratione promissionis, fuit enim ficta, & inualida, nec ratione iniustitiae, & iniuriae illatae, quia iniustitia non obligat ad restituendum damnum, plusquam aestimatur.

Idem censet probabile Lessius dubit. 3. citata num. 25. videri etiam potest num. 31. vbi censet verius esse eum, qui sub spe copulae carnalis promittit fidei matrimonium ei, quam sciebat non esse virginem, obtentâ copulâ non teneri eam in vxorem accipere, quia corrupta origendo matrimonium pro vsurâ corporis numum exigit; vnde cum alter non teneatur ad matrimonium ratione promissionis, utpote quæ nulla fuerit, nec ratione damni, cum nullum securum sit, vt supponitur, solum tenetur iudicio prudentis compensare copulam obtentam, quod etiam docet Sanchez disp. 10. citata num. 23. & plures alij.

Ex quibus manifestè deduci videtur, quod etiam is, qui sub spe copulae alicui fidei matrimonium promittit, etiam obtentâ copulâ non teneatur illam ducere seposito scandalo, & damno, quod aliter compensari non possit.

Probatur, non tenetur ratione promissionis, utpote quæ fuit nulla, nec ratione damni, cum illud aliter possit compensari, quàm per matrimonium, vt supponitur, & patet in eâ, quæ vi est cognita, quam non tenetur in vxorem accipere is, qui vim intulit, sed potest aliter damnum sarcire.

Vnde dico probabile esse quod in casu petitionis is, qui fidei promittit, per se loquendo, & seposito scandalo, & damno, quod aliter non possit compensari, non teneatur accipere in vxorem eam, quam cognouit, sed sufficet ei dare, quantum moraliter requiritur, vt non censeatur damnum pati, & vt censeatur dari æquale rei ablatae.

Probatur, quod peccauerit decipiendo, non infert damnum aliter irreparabile quàm per matrimonium, ergo non tenetur matrimonium inire ad illud reparandum, sed potest illud damnum iniuste per fidei promissionem illatum aliter compensare.

DVBIUM V.

*Utrum ad valorem sponsalium requiratur
vt celebrentur in praesentia parochi,
& testium?*

RESP. breuiter non requiri, ita communiter Doctores, & patet quod iure antiquo valeant celebrata sine praesentia parochi; iure autem nouo Trid. ea non requiratur ad valorem sponsalium; nam, vt patet ex cap. 1. de reformatione matrimonij, sess. 24. & ex responsis Cardinalium circa illud caput, decretum illius cap. nullo modo tangit contractum sponsalium.

Petitum tamen, an sit peccatum clandestinè ea contrahere? Negat Sa verbo *sponsalia* §. *quidam mortale*, Sanchez libr. 1. disp. 13. num. 2. Afferit Caiet. in summâ, verbo *sponsalia* num. 1. qui censet esse mortale, quem sequitur Fumus eodem verbo num. 14.

Resp. 1. nullum videri peccatum sponsalia inire sine praesentia parochi, quia neque ex iure naturæ ostendi potest desiderari praesentiam parochi, vt sponsalia licitè celebrentur, neque ex vilo iure positivo exigitur, sicuti tamen sit consuetudo obligans sub peccato, vt non nisi in praesentia parochi celebrentur, erit peccatum eo loco sponsalia inire sine parochio.

Resp. 2. videtur peccatum ea ita clandestinè celebrare, vt nullus testis intersit.

Probatur, ex talibus sponsalibus multa, et quæ grauiora mala sequi possunt. 1. quod cum ratione sponsalium oriatur impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium inter sponsum, & certas consanguineas sponse, si quis cum consanguineâ sponse suæ matrimonium inire velit, non possit hoc impedimentum detegi, atque adeo Ecclesia non possit incestam hanc, & inualidam coniunctionem, & perpetuum concubinatum impedire. 2. cum de huiusmodi sponsalibus non possit constare Ecclesiae, si pars comparti fidem frangere velit, ea non possit per iudicem compelli ad fidem seruandam, propter quæ incommoda videtur mortale sponsalia absque vilo teste celebrare.

DVBIUM VI.

*Utrum contractui sponsalium possit apponi
pena, quam teneatur soluere is, qui
eorum fidem frangit?*

ADIRECTIO hæc non est iure naturæ illicita, vel irrita, vnde nisi lex, vel consuetudo obstat apud ethnicos, ab illis licitè, & validè pena potest apponi contractui sponsalicio.

Queritur, quid sit dicendum iure positivo? in quo communis, & recepta Theologorum & Iurisperitorum sententia est irritam esse hanc penam adiectionem, nullamque parere in conscientia, vel etiam in foro exteriori obligationem penam soluendi, vnde

Resp. pena nequit apponi sponsalicio contractui, & appositam in neutro foro tenetur soluere, qui culpabiliter sponsalium fidem fregerit.

Probatur ex cap. *Gemma*, de desponsatione impuberum, vbi decernitur adiectionem penæ in sponsalibus merito improbandam, & is, qui pæ-

S f f f

nam

49.

Resp. neg.

50.

Petitio.

Sa.

Sanchez.

Caiet.

Fumus.

Resp. 1.

Resp. 2.

51.

Responsio
communis
negatiua.Resp. Auth.
cum senten-
tia commu-
ni.Prob.
Cap. *Gemma*.

nam conuentam exigit, iubetur etiam per censuras Ecclesiasticas compelli, vt desistat ab extorsione pœnæ. congruentia canonis est libertas matrimonij, cuiuslibet modo officeretur, si quis pœnam sponsalicio contractui appositam soluere teneretur. Idem statuitur L. ult. Cod. de sponsalibus. vbi

52.

Notandum hanc pœnæ adiectionem non solum esse improbandam, quando statuitur persoluenda ab ipsis sponsis, sed etiam quando ab eorum parentibus. nam cap. cit. *Gemma*, agitur de pœnâ adiectâ à parentibus sponforum: immo quodcumque esset persoluenda ab ijs, qui ita coniuncti sunt sponsis, vt si iij tenerentur soluere, matrimonia censerentur minus libera. vt si tutores deberent pœnam soluere nisi matrimonium perficiatur.

Item si domini temporales, quibus sponsi subiecti sunt, ita vt nisi sponsi matrimonium contrahant, molestias à suis dominis sint passuri.

Si pœna adiciatur ab externis, per eos soluenda, ita vt nullo modo libertati matrimonij propterea detractum censeatur, contractus non est irritus, & in conscientia orietur obligatio pœnam soluendi, si matrimonium non perficiatur, quia canon non videtur agere de tali contractu, utpote respectu sponforum omnino impertinenter se habente, nec villo modo imminuente matrimonij libertatem. quam ob causam potest validè etiam adijci pœna à parentibus, si per eam libertas matrimonij non impediatur. vt si solum stipulentur sub certâ pœnâ se curaturos, vt filij matrimonium inter se incant quia solum obligantur, quo casu non curauerint bonâ fide matrimonium perfici. quod si fecerint, ad nihil obligantur, quamuis matrimonium non sequatur, atque ita per huiusmodi adiectionem pœnæ libertas matrimonij non minuitur.

Canon *Gemma*, non agit de contractu, respectu sponforum omnino impertinente.

53.

Qui accipit id quod in pœnam constituitur, potest illud retinere, donec à iudice compellatur restituere.

Notandum 2. licet stipulatio pœnæ sit irrita: multorum tamē sententiâ, si frangens fidem sponsalium pœnam persoluat, alter potest recipere, & retinere, donec per iudicem compellatur restituere: quia ea stipulatio solum hoc sensu dicitur improbanda, & irrita, quod nullam in conscientia pariat obligationem soluendi, non verò quod prohibeat solutionem, & impediat translationem domini rei solutæ. quod indicatur cap. *Gemma* citato, vbi dicitur: *Mandamus quatenus si ita est, eundem B. de ab extorsione pœnæ desistat, Ecclesiasticâ censurâ compellas*, quibus verbis datur intelligi solum prohiberi exactionem vi pacti; non autem retentionem eius, quod solutum fuerit, unde recipiens potest retinere, donec per iudicem reddere compellatur.

54.

Petitio 1.

Petes 1. an si iuramentum accedat stipulationi pœnæ, oriatur obligatio pœnam persoluendi? vt si duo contrahentes sponsalia, iurent se centum aureos soluturos, nō perficiatur matrimonium.

Duplex est se potest petitionis sensus.

Quæstio hæc potest intelligi 1. an contractus, quatenus continens adiectionem pœnæ aliâ irritus modo explicato, firmetur iuramento, ita vt ius parti acquiratur ad pœnam exigendam. 2. an saltem iurans teneatur pœnam ex religione iuramenti soluere, quamuis per tale iuramentum nullum ius parti accedat.

Resp. 1.

Resp. 1. contractus per tale iuramentum non firmatur, nec vllum ius strictum comparti competit. ratio est, quod iuramentum non confirmet contractum, qui propter bonum commune irritatur; atqui in præfati contractus, quo sponsalibus apponitur pœna, est irritus propter bonum com-

Iuramentum, non confirmat contractum, qui propter bonum commune irritatur.

mune, scilicet propter matrimonij libertatem, quæ tali adiectione valde minuitur, ergo.

Resp. 2. probabile etiam est, quod is, qui ita iurauit, ne quidem ex religione iuramenti obligetur promissam pœnam soluere, atque adeo quod tale iuramentum sit nullum.

Probatur, lex non solum irritat stipulationem pœnæ, sed etiam prohibet, vt censent Caiet. verbo, *Sponsalia*, & Fumus eodem verbo num. 14. & communius censetur peccatum adijcere sponsalibus stipulationem, quâ velit aliquis sese obligare ad solutionem pœnæ, quo casu matrimonium non perficiatur, idque propter cap. *Gemma*, citatum, ergo non potest aliquis iuramento se ad id obligare: quia nullus potest contra legem prohibentem in se inducere obligationem ex iuramento, cum iuramentum non possit quenuquam contra legem ligare, & quia lex aliquid prohibens inuitu boni communis impedit, ne quis priuato iuramento ad id ipsum sese possit validè obligare; cap. autem *Gemma*, stipulatio prohibetur propter bonum commune.

Petes 2. an sponsalibus possint apponi arrhe?

Resp. posse patet ex L. ult. Cod. de sponsalibus, quod non reprobatur iure canonico. mortuum legum fortè est, quod arrhæ maturiori consilio in præfati dari soleant, & in minori quantitate, quàm soleat adijci pœna in futurum soluenda.

Adde tamen arrhas in quamvis magnâ quantitate dari posse: quia lex indistinctè eas permittit, non restringens ad paruas.

Aduerte huiusmodi arrhas perdi ab eo, cuius culpâ matrimonium non perficitur, unde si sponsus tradat arrhas sponsæ, & hic culpabiliter resiliat à sponsalibus, illas amittit, & sponsa eas lucratur: si verò sine eius culpâ matrimonium non perficiatur, sunt ei restituendæ, vt si habeat iustam causam soluendi sponsalia, si subsit impedimentum quod ignorauit, dum sponsalia contraxit.

Si is, qui arrhas accepit, iniuste resiliat, debet eas restituere, ex quo sequitur quod cum vterque dedit, is, qui iniuste resiliat, perdat eas, quas dedit, & teneatur restituere eas, quas accepit: præter amissionem verò arrhæ vel restitutionem, ex prædictâ lege iniuste resiliens tenetur tantumdem reddere, quantum nomine arrhæ accepit, nisi sit minor, qui solum tenetur ad restitutionem arrharum, videtur autem teneri etiam ante iudicis sententiam saltem parte exigente.

DVBIVM VII.

Quibus signis contrahantur sponsalia?

CONSTAT ex naturâ contractus matrimonialis, ad quem dirigitur sponsalicius, tantum præuia dispositio, ad sponsalia contrahenda nullum certum genus signorum in particulari requiri, sed ea sufficere, quibus ex eorum sufficienter possit exprimi consensus, & reciproca promissio matrimonij futuri, ita communis Doctores, & proinde non requiri verba in particulari, neque notus, vel scripturam in particulari, sed sufficere quolibet signa, quæ quomodocumque hunc consensus expriment, vbi

Notandum 1. si sponsalia verbis ineantur, quamuis in foro conscientie sit standum dictis contrahentium assensum sit certo sensu verba intellexisse: tamen in foro externo iudicetur secundum communem verborum acceptionem, spectatâ causæ qualitate.

dum com-
mune ver-
borum ac-
ceptionem.

Ceteris pa-
ribus fau-
dum femi-
nis.

qualitate materiae, de qua agitur, nisi videlicet in eo foro constet vel coniecturari vehementibus praesumatur contrarium. in quo foro in dubio etiam iudicatur contra eum, qui potuit clarius mentem explicare, nec tamen explicuit. praeterea verba secundi sunt accipienda iuxta intellectum prioris. tertiō ceteris paribus fauendum est foeminis, quae simpliciū solent procedere.

Notandum 2. si de quibusdam signis dubitetur, num sufficiant ad sponsalia, ut iudicetur num per haec sponsalia contrahantur, patriae consuetudo est attendenda: si enim in aliquā patriā communiter sponsalia iniiri soleant per haec signa, dicendum est esse sufficientia signa ad sponsalia in eunda; si nihil ex eo capite possit colligi, recurrendum est ad circumstantias, ex quibus colligi possit, num hic & nunc, spectatis circumstantiis ea signa sufficienter declarent consensum sponsalium, necne.

Ex hac regulā aliqui tradunt, quod si vna pars praemiserit verba, vel alia signa, quae significant eam, quantum est ex parte sua, contrahere sponsalia, & altera remittat anulum, qui à priori acceptetur, huiusmodi missio sufficienter declaret consensum secundae partis in sponsalia: immo iuxta exigentiam praecedentium signorum possit esse signum consensus matrimonialis, atque adeo, ubi Trident. non est receptum, hoc modo valide matrimonium possit contrahi. quod si nihil praecesserit, sola subaratio non videatur sufficiens signū sponsalium, cum arrhae aliis variis de causis mitti soleant, v. g. ex amore turpi. intellige, nisi ex consuetudine alicuius loci missio annuli, vel arrhae sit signum sponsalium.

Notandum 3. quamvis aliquae formulae loquendi, spectatā grammaticali verborum significatione solum videantur significare quid futurum sit, seu enuntiare id, quod aliquis est factururus, vel etiam animi propositum: vsu tamen communi sumantur tanquam signa consensus expressiua, & quibus contractus iniiri possit. ut accipiam te in meam, ducam te in vxorem, habeo te vxorem, communiter significant promissionem futuri matrimonij, & proinde nisi in aliquo casu constet de contrariā intentione, si qui his formulis erga se inuicem vsi sint, in utroque foro censendi sunt sponsalia contraxisse.

Immo si dicant, ex nunc te habeo in virum, vel vxorem, vel deinceps te habeo in virum &c. vel semper, vel omnibus diebus vitā meā, si adsint requisita ad contractum matrimonialem, iudicandum est matrimonium perfici: quia istis formulis declaratur consensus de praesenti.

Similiter his formulis: volo te ducere in vxorem, accipere, habere, multorum sententiā contrahuntur sponsalia; similiter per hanc formulam: volo tecum contrahere, nisi videlicet ex adiunctis aliud colligatur: si enim praecessisset tractatus de matrimonio, esset sufficiens signum consensus de praesenti.

Controuertunt Doctores de hac formulā: non ducam aliam, nisi, vel praeter, te. Multi, quos citat Sanchez lib. 1. disput. 19. num. 3. censent, per eam contrahi sponsalia, quibus assentitur Rebellius 2. parte de obligationibus iustitiae lib. 4. quaest. 3. num. 8. quia ea est vis particulae exceptiuae ut assermet quod eam sequitur, & communi vsu non videtur efficere sensum conditionatum, sed exceptiuum.

Nauiar. cap. 22. num. 27. Henriquez lib. 11.

cap. 13. num. 4. Vivaldus de sponsalibus num. 27. Vivald. & alij, quos sequitur Sanchez disput. citatā num. Sanchez. 5. censent hac formulā nec matrimonium, nec sponsalia contrahi, nisi scilicet contrarium ex adiunctis colligatur: quia etiam in simplicibus Particula enuntiationibus particula exceptiua habeat vim exceptiua affirmandi id, quod eam sequitur: in contractibus in contra-ctibus tantum reddit sensum conditionatum, & aequiualeat huic propositioni: si quam ducam, non ducam aliam, quam te, ex qua solum oritur obligatio eam ducendi supposito, quod is, qui ita promissit, velit matrimonium inire. Quae posterior sententia est probabilior. Resolutio Auctoris.

D V B I V M V I I I.

Quomodo sponsalia transeant in matrimonium?

NOTANDVM iis locis, quibus Trident. receptum est, nulla signa sufficere, ut sponsalia transeant in matrimonium, nisi exhibeantur in praesentia parochi, & duorum testium, qui aduertant quid agatur, ut supra quaest. 4. est explicatum.

Vbi verō Trident. quoad matrimonia clandestina non est receptum, quauis signa ex affectu maritali inter puberes sufficiunt, ut sponsalia transeant in matrimonium, siue sint verba, siue quaecumque alia signa. vnde copula carnalis exercita utriusque consensu est sufficiens signum, quo sponsalia transeant in matrimonium: cum supposito sponsalibus copula censetur exerceri affectu maritali, & sponsi per eam censentur se sibi inuicem tradere, de ceteris cap. 18. qui fidem, de sponsalibus, & cap. vnico §. 2. de desponsatione impuberum, in 6.

De osculis, & quibusdam amplexibus videretur posse dubitari. sed dicendum si haec exerceantur ab iis, qui post pubertatem contraxerunt sponsalia, non sunt sufficiens signum quod sponsalia transeant in matrimonium, quia solum videntur declarare perseverantiam in affectu promissionis de futuro.

Si ij qui per etatem non poterant matrimonium inire, contraxerint de praesenti, & postquam ad annos pubertatis peruenerint, huiusmodi signa sibi exhibuerint, sufficiunt ad matrimonium praesumendum: quia praesumuntur exerceri ex praecedenti affectu, qui licet ex dispositione iuris non sufficeret ad matrimonium priori tempore: accedentibus tamen annis pubertatis sufficit, & proinde signa illius affectus exercita post annos pubertatis sunt sufficientia signa, ex quibus matrimonium inter praedictas personas praesumi possit. videri potest §. 2. citatus.

In utrisque est sufficiens signum matrimonij traditio sponsae in domum sponsi.

Petes, an sit sufficiens signum nusus ad copulam, quando ea perfici non potest: videtur enim quod Negarina non ex cap. vlt. de sponsalibus. Petito. Negarina suadet.

Resp. copulam utriusque consensu tentatam videri signum sufficiens, cum sponsi non debeant praesumi ad se inuicem velle accedere animo fornicario. Resp. affir.

Confir. ius ex huiusmodi praesumptione docet per copulam perfectam sponsalia transire in matrimonium.

Ad cap. vlt. citatum Resp. illud intelligi de

S f f f 4 sponso,

61.

Cap. is qui fidem.

62.

63.

Petito. Negarina suadet.

Resp. affir.

Soluitur ratio negatiua.

sponsus, qui tentauit carnaliter cognoscere sponsam, quæ in copulam non consensit expressè, quem simplicem conatum docet non sufficienter declarare consensum alterius in matrimonium.

DV B I V M IX.

De varijs modis, quibus sponsalia solui possunt, vel saltem altera pars potest ab eorum obligatione liberari.

64.

Sponsalia varijs modis solui posse communis est & vera Doctorum sententia, ex qua constat interdum posse contingere, quod una pars liberetur ab obligatione sponsalium, altera remanente obligata.

Solui possunt.
Primò.

Primò igitur sponsalia valida etiam pura mutuo contrahentium consensu solui possunt. patet ex cap. 2. de sponsalibus. ratio est, quod omnis contractus naturæ suæ dissolubilis mutuo contrahentium consensu solui & rescindi possit, cum obligatio per easdem causas tolli possit, per quas inducitur, & obligatio orta ex contractu intelligatur permanere, nisi partes mutuo consensu eam sibi remittant: contractum verò sponsalium esse dissolubile constat apud omnes.

65.

Etiam firmata iuramento.

Non solum verò possunt solui sponsalia non iurata, sed etiam firmata iuramento, ita ut mutuo contrahentium consensu tolli etiam possit obligatio religionis: nam iuramentum promissorium firmans contractum non censetur obligare, parte, in cuius gratiam est præstitum, obligationem remittente, quam non minus potest remittere, quando iuramentum contractui est appositum, quam si appositum non fuisset.

Confirm. iuramentum appositum contractui tanquam accessorium sequitur illius naturam, ergo sublatâ per mutuum contrahentium consensum obligatione orta ex contractu, aufertur etiam ea, quæ est ex iuramento, & priori innitebatur, eratque illius confirmatio. 2. adiectione iuramenti partes non censentur velle sibi præiudicare, ut nullo euentu possint sibi mutuo obligationem remittere & contractum rescindere, ut patet in alijs contractibus. vbi etiam

Aduerte, quod de iuramento dictum est, habere etiam locum quamuis iuramentum præcipue intuitu Dei esset appositum, & propter eius amorem: quia nihilominus præstaretur in gratiam alicuius persone, quæ quoad executionem posset saltem indirectè elidere obligationem ortam in sui gratiam, nolendo matrimonium cum tali personâ inire.

66.

Sponsalia impuberum non possunt solui ante annos pubertatis.
Cap. de illis.
Cap. à nobis.

Quod dictum est sponsalia communi consensu contrahentium solui posse, intelligitur, si sponsi annos pubertatis compleuerint: nam sponsalia impuberum non possunt ab eis etiam ex mutuo consensu solui ante annos pubertatis, ut patet ex cap. de illis 1. de sponsalibus, vbi agitur de sponsalibus, & cap. à nobis, eodem titulo, vbi agitur de matrimonio (quod iuris dispositione solum fortitur rationem sponsalium modo in superioribus explicato.) quod à iure factum est, ut leuitati puerorum occurratur. vbi

Notandum impuberes posse etiam pro lubitu sponsalia dissolvere, cum ad annos pubertatis peruenierint, ut patet ex cap. à nobis, & cap. de illis, citato, ita ut unus possit etiam abique consensu alterius sponsalia soluere.

Debent autem moraliter loquendo statim reclamare postquam ad annos pubertatis peruenierint, alioquin censentur tacite consentire, quod si impubes dissentiat, & vsque ad annos pubertatis perseueret in eo dissensu, sufficit ad dissolutionem sponsalium, cum eo casu censetur dissentire iam pubes factus.

Præterea cum vnus prior peruenit ad annos pubertatis secundum quosdam is non potest reclamare, antequam alter ad eosdem annos perueniat, sed debet alterum expectare, ut sponsalia valide dissoluatur. Verum id non videtur ex aliquo textu solidè deduci, & proinde verius est posse resiliere, etiamsi alter sit adhuc impubes, ita Viualdus de sponsalibus num. 44. Rebellius lib. 4. quæst. 8. sect. 8. num. 63.

3. Cum pubes contrahit sponsalia cum impubere, non potest contractum rescindere, sed hoc beneficium soli impuberi conceditur, & proinde contractus in hoc tertio casu est infirmus ex vniuersali parte, patet ex cap. de illis citato.

Petes 1. an dicta intelligantur, si impuberes sponsalibus adiecerint iuramentum?

Resp. 1. ita posse resiliere, ut resolutio contractus sit valida: cum enim contractus eorum propter commune bonum, & ob fauorem publicum redatur debilis per canones, quia scilicet interest boni communis ut sponsalia puerorum non sint ita firma, sicut sponsalia puberum, illi fauori impuberes non possunt renuntiare priuato iuramento, & ita iuramentum non potest eorum contractum pro tempore illius ætatis firmare.

Resp. 2. videtur etiam probabile, quod possint resiliere saluâ religione iuramenti: quia can. citati videntur ob stare, quod minus pueri intra annos pubertatis possint sese firmiter obligare ad matrimonium cum aliquâ inuendum, ergo eorum iuramentum non inducet firmam obligationem, sed eo non obstante poterunt resiliere, cum ad annos pubertatis peruenierint, ita tenent aliqui, quos citat Sanchez lib. 1. disput. 51. num. 21.

Dices, cap. ex illis 2. de sponsalibus quidam qui intra annos pubertatis constitutus iurauit se aliquam in uxorem ducturum, iubetur compelli ad eandem accipiendam: quia, ut ibidem dicitur, ei periculosum est contra suum iuramentum venire. Propter hoc cap. aliqui probabiliter censent non posse saluâ religione iuramenti resiliere: sed probabiliter dici potest eum, qui iurauerat, non reclamasse cum peruenisset ad annos pubertatis, atque ita sponsalia sortita fuisse obligationem sponsalium initorum à maioribus, & accessisse robur iuramenti.

Petes 2. an impuberes possint resiliere ante annos pubertatis, si eorum parentes pro illis contraxerint?

Resp. non teneri consentire contractui parentum, & si nunquam consenserint, posse etiam in eâ ætate dissentire: si tamen semel consenserint, etiam tacite, non posse resiliere ante annos pubertatis, quia per consensum eorum etiam tacitum oritur obligatio sponsalium, quam non possunt tollere ante annos pubertatis.

Petes 3. an in annis pubertatis possint propria autoritate sponsalia dissolvere?

Ex cap. de illis citato videtur quod non, quia Negramus dicitur: *Iudicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari*, vnde videtur quod hæc dissolutio debeat fieri à iudice Ecclesiastico.

Verum dico id posse habere locum in foro exteriori.

tertio.

terno, quando sponsalia sunt publica: in foro tamen conscientiae impuberem posse valide sponsalia dissolvere sua auctoritate, postquam ad annos pubertatis pervenerit.

71.
Secundo
solvuntur
sponsalia.

Secundo solvuntur sponsalia, si inter sponsos oriatur aliquod impedimentum, ratione cuius reddantur inhabiles ad matrimonium valide inendum, ut si sponsus carnaliter cognoverit sororem sponsae, unde oriatur affinitas matrimonium dirimens inter illum, & sponsam: immo ad ea dissolvenda sufficit publica fama impedimenti, ut Nauarr. cap. 22. num. 27. Toletus libr. 7. cap. 17. nu. 7. Sa verbo sponsalia num. 4. & alij. patet ex cap. cum in tua, de sponsalibus, in quo etiam decernitur quod sufficiat fama probari per gravem aliquam personam.

Nauarr.
Tolet.
Sa.
Cap. cum in
tua.

72.
Tertio.

Tertio, si sponsus suscipiat ordinem sacrum, non solum pars ab obligatione sponsalium liberatur, sed etiam ipsemet sponsus. vide Nauarr. supra, Sa verbo sponsalia num. 2. & alios. quia ordo facit dirimit matrimonium contrahendum, ergo dissolvit utrimque sponsalia etiam iurata.

73.

Difficultas

Difficultas est, an sponsus recipiens ordinem sacrum sine consensu sponsae peccet, partem negantem indicat Sotus dist. 27. quaest. 2. art. 5. Sa supra, dicens tunc non solum poenam archaerum. Sed opposita sententia videtur verior, pro qua plures citat Rebellius supra sect. 5. quos sequitur num. 29. quia privilegium dimitendi sponsam nullibi conceditur receptioni ordinis sacri, sed religioni, ergo aliquis non potest sine gravi iniuria sponsae absque eius consensu sacris ordinibus initiari. Dico, *falsum*, quia potest initiari minoribus, neque propterea praebetur sufficiens causa dissolvendi sponsalia.

Sot.
Sa.
Resolutio
Auct.
Rebell.

Quarto.

Quarto sponsalia etiam solvuntur per matrimonium cum alia valide contractum. patet cap. sicut ex litteris, & cap. si inter virum, de sponsalibus. Dixi, *valide*: quia si matrimonium sit invalidum, illud contrahens non videtur villo modo liberari ab obligatione sponsalium, quamvis pars liberetur: tum quia alter conando, quantum in se est, matrimonium cum aliqua contrahere, ex sua parte tacite renuntiauit contractui sponsalium: tum quia tentando matrimonium fregit datam alteri fidem. Dixi etiam, *matrimonium*, quia per sponsalia secunda etiam iurata non solvuntur priora, quamvis parti innocenti libera sit potestas recedendi. prior pars probatur, eo quod posteriora sponsalia etiam iurata sint invalida, cum nemo possit valide rem quampiam alicui promittere, quam alteri valide obligat: obligaret enim se ad peccatum, cum priore promissione non remissa non possit rem illam absque peccato secundo tradere.

74.

Petitia 1.

Petes 1. an saltem non dissolvantur, si puella ignara priorum sponsalium simul cum contractu sponsalium permittat usurari corporis sui, quod damnum non possit aliter compensari, quam per matrimonium cum eadem contrahendum? Afferunt aliqui, quorum sententia est probabilis, & praesertim quo *casu* prior ex dissolutione sponsalium nullum, vel omnino parvum damnum incurrat, altera autem magnum damnum sit passura, nisi matrimonium cum eadem perficiatur, non propter sponsalia posteriora quae fuerunt invalida, sed ratione damni. Nihilominus videtur probabilius non solui: quia ius prioris, quae vicissim obligatur, non videtur tolli ratione iniuriae alteri illatae.

Resp. Auct.
neg.

Aduerte tamen priorem in casu posito ex charitate saltem obligari, ut consentiat in dissolutione.

nem sponsalium, & iudicem posse ea dissolvere: quia prior tenetur gravi alterius damno occurrere, si absque suo incommodo possit.

75.

Petes 2. an si contingat aliquo casu priora sponsalia dissolui, is, qui iniit secunda, praesertim iurata, teneatur ea adimplere, accipiendo in uxorem eam, cui iurauerat?

Petitia 2.

Resp. non teneri, quia ea sponsalia erant inualida, cum iniurentur, similiter iuramentum illis accedens: quod autem ab initio fuit inualidum, non validatur temporis successu.

Resp. neg.

76.

Petes 3. an per subsequens matrimonium omnino extinguatur obligatio priorum sponsalium, an vero solum suspendatur, ita ut si pars, cum qua matrimonium contractum est, moriatur ante sponsam de futuro, cum qua prius inita erant sponsalia, nec supervenerit nova circumstantia, propter quam is, qui matrimonium contraxerat, non teneatur sponsam ducere, an, inquam, virtute priorum sponsalium remaneat obligatio eam ducendi, si velit?

Petitia 3.

Palud. dist. 28. quaest. 1. art. 1. conclus. 4. Henriquez lib. 11. cap. 14. num. 2. Sanchez libr. 1. disp. 48. num. 3. & plures alij censent extingui. Petrus vero Ledesma quaest. 43. de matrimonio art. 3. dub. 2. ad 2. & alij censent solum suspendi, quae sententia videtur probabilior, quia neque videntur dissolui ex rei natura, cum obligatio semel valide induta non extinguatur, eo quod aliquo tempore illius executio reddatur impossibilis. neque dissolvuntur iure positivo: nam cap. citata, quae tradunt matrimonium initum valere non obstantibus sponsalibus cum aliqua alia prius initis, non docent, vel decernunt ipsa sponsalia extingui, neque id decernitur cap. 1. de sponsa duorum.

Palud.

Henriq.

Sanchez.

Ledesma.

Resp. Auct.

Quinto sponsalia solvuntur per professionem in religione approbatam.

Quinto.

Probatur ex eo quod professio subsequens soluat vinculum ortum ex matrimonio rato, solvuntur autem eo casu sponsalia etiam iurata, & quidem ita, ut si quis ex dispensatione Pontificia liberetur a votis, non obligetur prioribus sponsalibus: quemadmodum in favorem religionis per professionem solvitur vinculum matrimonij rati.

Prob.

Porro, licet aliquis sponsalia etiam iurata intenderit, potest absque peccato religionem ingredi, & probare, nisi peculiaris aliqua circumstantia obstat: quia tam obligatio sponsalium, quam iuramenti annexi habet hanc tacitam conditionem, nisi status religiosus suscipiatur.

77.

Difficultas est an re ipsa solvantur sponsalia per ingressum Novitiatum.

78.

Difficultas.

Suppono partem in saeculo remanentem liberari ab obligatione. 1. quod pars religionem ingrediens probationis causa tacite renuntiet promissioni, suscipiendo statum ita disparatum. 2. quod haec probatio inducat notabilem mutationem, ergo pars in saeculo remanens liberatur obligatione, ut patebit ex infra dicendis.

Confirm. censetur dedecorosum parti, si teneretur egredientem ex religione in maritum accipere. Difficultas est, num etiam liberetur is, qui Novitiatum ingressus est, si forte egrediatur, plures quos citat, & sequitur Sanchez lib. 1. disput. 42. num. 5. affirmant, quando sine fraude egreditur. Sed verius est non liberari ante actualem professionem, ut tenet Ledesma supra, Henriquez cap. 14. cit. num. 3. cum prior sententia non videatur iure probari.

79.

Coroll. 1.

Ex his sequitur 1. multo minus solui sponsalia ex parte voventis, si quis post ea contractum votum

emittat

emitat de ingressu religionis. est contra Rebel-
lium quaest. 8. citata sect. 7. num. 46. & quos-
dam alios.

Coroll. 2.

Nauarr.
Lect.

Sequitur 2. multò minùs solui simplici voto
castitatis in saeculo, quod tenet Nauar. cap. 22.
num. 27. Lessius lib. 2. de iusticiâ, cap. 41. dubit.
6. num. 54. & plures alij.

Probatur, hoc votum, in quantum praedicitur
sponsa, non solum est illicitum, sed etiam inuali-
dum, cum sit de re obligata, nec possit ostendi,
quod is casus excipiat, quando initur contractus
sponsalium. 2. Ecclesia cognita veritate cogit vo-
uentem, vel ingredi religionem, vel implere spon-
salia, ergo censet votum castitatis in saeculo super-
ueniens sponsalibus, ea non dissolvere, quamvis
pars sine cuius consensu votum est emissum, ma-
neat libera propter notabilem mutationem in
comparte.

Coroll. 3.

80.

Henriq.

Sexto.

Cap. de illis

81.

Septimò.
Cap. quem-
admodum.

Sequitur 3. votum ordinis sacri recipiendi non
soluere sponsalia, cum illud inuita sponsa emitti
non possit validè, nec Ecclesia soleat admittere ad
sacros ordines eos, qui contraxerunt sponsalia, nisi
accedat consensus partis, vel saltem sponsalia sint
soluta, vel solui possint ab eo, qui ordines vult sus-
cipere.

Contrarium sentit Henriquez in duobus poste-
rioribus casibus, scilicet etiam solui ex parte vo-
uentis, quod etiam censet alij.

Sextò si vnus proficiatur in aliam regionem
sine licentiâ compatis, liberum est remanenti solu-
ere sponsalia, cap. de illis, de sponsalibus, vbi nul-
lum praefigitur tempus, quo absens debeat expe-
ctari: si tamen subit iusta causa, iudex potest illud
praescribere.

Septimò, si sponsa fornicetur post sponsalia,
sponsus potest resiliere. patet ex cap. quemadmodum,
de iureiurando, ex quo patet id licere, etiam si
sponsalia essent iuramento firmata: quia in eo sub-
intelligi debet conditio, si illa contra regulam des-
ponsationis non venerit, vt cap. citato. ex quo pa-
tet Pontificem censere sponsalia non solum con-
tinere promissionem futuri matrimonij, sed etiam
quod sponsa non miscebit carnaliter cum alio
corpus sponso promissum, contra quam promiss-
sionem, & fidem implicitè datam facit sponsa, quae
post sponsalia fornicatur.

Adde per superuenientem fornicationem indu-
ci notabilem mutationem in comparte, & eam
notabile vitium contrahere, propter quam ratio-
nem sponsus non tenetur accipere in eam etiam
eam, quae sine suo peccato ab alio est corrup-
ta, vt tradunt plurimi. Idem censent aliqui, si spon-
sa permittat circa se exerceri ab alio actus impu-
dicos.

82.

Petitio 1.

Resp. affirm.

Nauarr.

Henriq.

83.

Petitio 2.

Resp.

Petes 1. an sponsa possit etiam resiliere à spon-
salibus, etiam iuratis, propter superuenientem spon-
si fornicationem?

Resp. posse, vt communiter Doctores. quia
sponsus fornicando frangit etiam fidem implicitè
in contractu sponsalium datam.

Adde Nauar. num. 27. citato, post Glossam
tenere praebere sufficientem causam dissoluendi
sponsalia, etiam si vir inuitus cognoscatur, cui con-
sentit Henriquez cap. citato num. 5. quod tamen
aliqui negant.

Petes 2. an fiat compensatio, si vterque forni-
cetur?

Negat Henriquez suprà, Sanchez lib. 1. dispnt
ss. num. 10. & alij, quamvis contrarium non sit
improbabile.

Petes 3. an dicta locum habeant, si fornicatio
praecedens sponsalia, fuerit ignota: videtur quod
non ex cap. quemadmodum, citato, vbi dicitur, quod
sponsus non possit sponsa opponere fornicatio-
nem praecedentem, sed subsequentem.

Verùm Doctores communiter censent contra. Resp.
rium, ratio est, quod talis fornicatio notabilem
defectum adferat in foemina, cuius ignorantia suf-
ficit ad rescissionem contractus. ad cap. citatum
Resp. illud intelligendum, quando praecedens for-
nicatio fuit cognita, quo casu certum est sponsum
non posse resiliere.

Immo sponsus non tenetur accipere eam, quae
etiam sine sua culpa fuit corrupta.

Vna, vel altera fornicatio praecedens in sponso
non sufficit, vt sponsa possit à sponsalibus resiliere:
quia in viro vna, vel altera fornicatio non censetur
notabile vitium: frequenter tamen repetita suffi-
ceret, cum prudenter ingeneraret suspicionem,
quod is fidem coniugalem non sit seruaturus.

Quod dictum est de fornicatione corporali,
Doctores communiter intelligunt etiam de spiri-
tuali per apostasiam à fide, vel haerese, quia haec
inducunt graue vitium in comparte, propter quod
innocens licet potest contractum rescindere.

Octauò quodcumque graue vitium superue-
niens contractui sponsalium in vna parte praebet
alteri facultatem sponsalia dissoluendi, vt indica-
tur cap. quemadmodum, citato, & patet, quia alij
contractus possunt rescindi propter notabilem re-
rum mutationem superuenientem. Idque etiam
verum est in sponsalibus iuratis, hinc lepra super-
ueniens, paralytis, morbus caducus, Gallicus, mor-
bus incurabilis, notabilis corporis deformitas, no-
tabilis morum asperitas, & similia praebent suffi-
cientem causam dissoluendi sponsalia. ratio est,
quod nullus per contractum, qui potest rescindi,
censetur se velle ita obligare, vt nullo euentu pro-
pter notabilem rerum mutationem possit à con-
tractu resiliere, sed communi hominum vsu contra-
ctus intelliguntur ita obligare, vt liceat parti resi-
lire, si notabilis defectus, vel mutatio superueniat
in materia, alioquin homo nimium grauaretur ex
contractibus.

Confirm. aliqua eorum superuenientia matri-
monio sufficerent ad diuortium.

Quod dicitur de notabili defectu superuenien-
te, intelligendum etiam est de praesistente, proba-
biliter tamen ignorato, vt in simili diximus prae-
cedenti puncto, vt docent communiter Doctores.

Vnde colligo esse sufficientem causam resilien-
di à sponsalibus, quod sponsus fuerit alicuius gra-
uioris criminis condemnatus, siue id praecedat
contractum, fuerit tamen ignoratum à comparte,
siue subsequatur. item quod sit addictus grauibz
criminibus. Idem dico de notabili paupertate su-
perueniente, quia inducit notabilem rerum muta-
tionem, & notabilem defectum in comparte. 3.
cum dos communiter requiratur ad subleuanda
matrimonij onera, graue orus deberet sponsus
subire, si teneretur ducere indotatam. 4. dici po-
test eo casu deficere conditionem, sub qua spon-
salia sunt iniata. Et hoc quidem certum est, si dos sit
promissa, verius tamen etiam est, si sponsalia sine
inita cum diuite sine mentione dotis, quia etiam
eo casu sponsalia intelliguntur tacite contracta
sub conditione dotis, & saltem, si ea, quae tempore
sponsalium fuerat diues, postea fiat pauper, nota-
bilem defectum patitur. ita sentit Nauar. num. 27.
citato, Toletus lib. 7. cap. 17. num. 7. Henriquez

cap.

Sanchez. cap. citato num. 6. Sanchez lib. 1. disp. 59. num. 4. quod dicitur de sponsâ, etiam intelligitur de sponso. Idem potiori iure dicendum, si altera pars pauper finxit se diuitem tempore sponsalium, similiter si finxit se nobilem, & ita compertum de cepit.

87. Nonô. Nonô sufficiens est causa dissoluendi sponsalia, si ex futuro matrimonio grauius scandala merito timeantur, si graues inimicitiae inter sponso, vel grauius, & diuturna odia inter consanguineos, si parentes nullo modo velint in matrimonium consentire.

Denique qualibet grauis causa, quam viri prudentes sufficientem iudicauerint. Item conditionem sponsalibus appositam non adimplere, vel non contrahere termino præfixo.

Quædam ex conditionibus enumeratis ipso facto sponsalia dissoluantur, ut patet ex dictis: alia saltem innocenti tribuunt facultatem resiliendi, ita tamen ut pars nocens teneatur stare contractu, si velit innocens.

88. Petito. Petes, an requiratur autoritas iudicis, ut sponsalia dissoluantur, vel saltem declarentur soluta?

Resp. 1. non requiri, si causa sit manifesta, ex qua manifestè possit constare sponsalia esse soluta, sed partem etiam sine peccato posse cum alio contrahere.

Resp. 2. similiter non requiri, quando manife-

stè constat subesse causam, propter quam alicui parti tribuatur facultas soluendi sponsalia, sed eam partem posse suâ autoritate resiliere.

Resp. 3. neque requiri, quando sponsalia sunt clandestina, licet causa sit occulta.

Resp. 4. si tamen causa sit dubia, debet intervenire autoritas iudicis, vel declarantis sponsalia per huiusmodi causam solui, vel ea soluere.

Resp. 5. quamuis causa sit certa, si tamen sit occulta, & sponsalia publica, eadem autoritas requiritur, nisi fortè aliquis nequeat probare in iudicio occultam causam, vel scandalum generetur, si ea deducatur in iudicium. tunc enim potest suâ autoritate ea soluere, modò euitet scandalum. Hæc sunt ex mente plurium Doctorum, quos passim in hoc dubio citauimus.

89. Ex quo patet, seposito scandalo, causâ existente certâ tam de iure, quam de facto, aliquem non peccare mortaliter, qui suâ autoritate soluit sponsalia, quia conditiones à nobis assignatæ vel ex rei naturâ soluunt sponsalia, vel tribuunt ius parti ab illis resiliendi; ergo, per se loquendo, potest quis propriâ autoritate resiliere, tantumque per accidens potest requiri sententia iudicis ad vitandum scandalum.

Adde, si constet de causâ, dubitatur verò de sufficientiâ, posse aliquem viri docti, & prudentis sequi iudicium.

Omnia S. Romana Ecclesia censura submitto.

F I N I S.



11